2:

ANGELI M. TINELLII

CARMINA

IN QUATUOR LIBROS

DISTRIBUTA

ROMÆ
TYPIS JOSEPHI SALVIUCCI
1856

Digitized by Google

Digitized by Google

Petrus Tinellius Adv.

AD AMICOS

Jamdudum optabam latina carmina, quae Angelus Maria pater meus horis subsecivis, sive animi recreandi gratia, sive oblata peculiari aliqua occasione scribere solebat, quaeque in conventibus hominum eruditorum perhumaniter audiri consueverant in unum colligere, typisque mandare. Sed anceps haerebam, probe reminiscens, nunquam ut id faceret, ipsum adduci potuisse. Ajebat enim diligentius ea perpendenda esse atque elaboranda ut in lucem possent proferri. Huc accedebat, quod nonnullum ex hisce carminibus ne ad exitum quidem perductum reperiebatur. Forenses aliaeque non levis momenti occupationes, quibus ad obitum usque fuit assidue distentus, illum impediverunt, quominus ejusmodi operibus amoenioris

Digitized by Google

litteraturae, supremam manum imponeret. Me hac de caussa cunctantem impellere nihilominus haud cessabatis, Amici candidissimi, ut ea publici juris facerem, fore id affirmantes litterariae reipublicae non injucundum, meamque segnitiem arguere quodammodo videbamini. Hortatu vestro commotus, quaecumque pater reliquisset carmina conquirenda curavi, eaque judicio virorum doctissimorum subjeci. Qui hortationes suas vestris adjungentes, auctores fuere, ut omnia, quemadmodum extabant, ederentur, hac tantum praefatione adhibita, ne acutae naris lectores offendantur, si quid alicubi, vel minus expolitum, vel subobscurum invenerint. Publicam itaque lucem intuentur Angeli M. Tinellii carmina typis impressa, adjectis notulis quibusdam, brevique auctoris vita: quae, ut par est, nomini vestro inscribuntur. Aggressus enim fui voluminis hujusce editionem, tum consilio ac voluntati vestrae ut morem gererem, tum parenti desideratissimo ut monumentum aliquod reverentiae atque amoris exhiberem. Quod superest, obsecro vos, animae suavissimae, ut paternos versus, qua benignitate ad evulgandum me excitastis, eadem accipere, ac perlegere velitis. Salvete.

Digitized by Google

AUCTORIS VITA

Angelus Maria Tinellius Philippi filius, patricius Camers, Romae natus est V. cal. jun. An. MDCCXLVI. Domi diligenter iis rebus institutus, quibus puerilis aetas imbui solet, humanioribus litteris in Collegio Romano operam dedit, ubi doctores clarissimos audivit Mazzolarium, Lagomarsinium, Ambrosium, quos sibi apprime devinxit ob mores ingenuos discendique cupiditatem. Ad Philosophiam quoque in eodem Lyceo se se applicuit, ingeniique sui ac progressus in scientiis specimen edidit, quum anno MDCCLXVIII theses ex universa philosophia depromptas publice sustinuit. Exinde in Archigymnasio Romano sacrae Theologiae, ac juris utriusque scientiae vacavit: qua in disciplina doctoris laurea decorari promeritus est.

Forensi palestrae se daturus primum a studiis fuit Jurisconsulti cl. Dominici Dionigii, mox Francisci Rigantii S. Consistorii Adv. jurisprudentiae atque elo-

Digitized by Google

quentiae laude commendatissimi. Accidit interea, ut Tinellio ad tempus Judicis munus in Ferrariensi Provincia concrederetur, quo in magistratu ita se gessit ut non minus a Ferrariensibus quam a Viro Eminentissimo Francisco Caraffa Traetto Card. Legato amplissimas abstinentiae, ac jurisperitiae laudes reportaverit. Reversus in patriam anno MDCCLXXXI in Advocatorum album relatus est.

Quum vero animadverteret ad multiplices legum fontes, quae in pontificia ditione vigebant, opus civili societati perutile se facturum duxit, si dispersa ut ita dicam, legislationis membra colligeret, atque uno veluti sub aspectu exponeret quidquid conferre posset vel ad quaestiones rite dirimendas, vel ad negocia pertractanda. Opus hoc suapte natura difficile ac salebrosum plaudente Pio VII Pontifice desideratissimo aggressus est, in eoque conficiendo non parum laboris insumpserat: sed rerum publicarum vicissitudines, quominus ad exitum perduceretur, impediverunt.

Tunc inter Judices sedit de Appellationibus cognoscentes; quo in munere diligenter integreque obeundo, ut antea Ferrariensium, ita civium suorum, omniumque existimationem sibi quam maxime comparavit.

Compositis Italiae rebus, quum Sanctissimus Pontifex Pius VII reipublicae constituendae animum intenderet, atque inter caetera, quae sapientissime providebat, illustriores jurisconsultos eligeret, qui leges

sibi proponerent, Tinellium in eorum numero benigne voluit esse, quibus sparta sane difficilis data est conficiendi codicem juris civilis, et normas judiciorum ordinandorum. Satisfecisse delectos Jurisconsultos Principis sacratissimi jussionibus ex eo argui potest, quod judiciaria Lex probata fuit a Pontifice anno MDCCCXVIII, decimo kal. decemb. summoque populorum plausu exequutioni commissa. Codex vero juris civilis ne evulgaretur, obstitit Pontificis mors.

Sacro Consilio Urbano XIIvir. litibus judicandis ab anno MDCCCXVII usque ad extremum vitae tempus adjutricem operam praebuit primum penes amplissimum Franciscum Tiberium Sanctae Ecclesiae Romanae modo Cardinalem; deinde apud Praesulem Petrum Marinium virum praestanti ingenio ac doctrina. Rationes vero ferendi judicii (quas *Decisiones* vocant) ab eo exaratae laudari consueverunt ob jurisprudentiae soliditatem, elegantiam latini sermonis, summamque gravitatem; ita ut in ipsis tribunalis majestas quodammodo elucere videatur.

Quod gravioribus negociis tempus supererat, libentissime tribuebat studio ecclesiasticarum antiquitatum, ac litteris graecis latinisque, quas potissimum in deliciis habebat. Atque hoc idiomate carmina tum sacra, tum profana composuit, nonnullos quoque hodiernos urbis mores festive describens. Numquam vero amici ab eo impetrare potuerunt, ut carmina haec (iis exceptis, quae aliqua pe-

culiari de caussa edita sunt, vel in accademicis collectionibus reperiuntur) typis impressa vulgaret. Inquiebat enim multum limae laborem ea adhuc exposcere, quam adhibere forenses curae sibi non facile permittebant.

Cooptatus fuerat admodum adolescentulus inter Arcades, quorum in coetu munere deinceps functus est tum Censoris, tum unius ex XII Collegis. Adlectus quoque fuit in alias tam romanas quam exteras litterarum accademias, atque ab ipsa fere institutione in accademiam *Latinam*, quae multa cum laude sibi proponit majorum nostrorum litteras tueri.

Viros ingenii, ac doctrinae laude florentes coluit apprime, nec minus iis fuit acceptus, quos inter praecipue memorandi sunt Mamachius ejus affinis, Stajus, Juvenatius, Fuga, Jo. Gherardus de Rossi, Nicolaus Maria De Nicolais, Hieronymus Amati: ac de viventibus ut sermo sit amicitiam praecipue sibi conciliaverat Henrici Cajetani Sermonetae Ducis, Praesulis Caroli Em. Muzzarelli, March. Aloisii Biondi, Laureti Santuccii, Adv. Guadagnii, Aloisii Metaxà et Jacobi Ferretti, qui omnes, ut par est, honoris caussa nominantur. Summa vero inter ipsum ac Franciscum Baptistinium aequalem ac condiscipulum suum, usque ab ineunte aetate, necessitudo intercessit.

Uxorem duxerat Theresiam Lauram filiam Comitis Jacobi Balserini Methonensis ex nobili familia Veneta, quam ob praeclaras ejus virtutes im-

Digitized by Google

pensissime adamavit, liberosque ab ea plures suscepit, ex quibus praeter filiam feminam superest Adv. Petrus, qui ab optimi parentis latere nunquam discessit.

Quum vero immatura mors ei conjugem carissimam ademisset, ut melius tenerae adhuc sobolis educationi prospiceret, secundas iniit nuptias, ex quibus unicum habuit filium Casimirum, quem candidissimis moribus magnaeque spei adolescentem, sacrae theologiae laurea insignitum, et sacerdotii munere initiatum, in ipso aetatis flore amisit.

Sincera in Angelo Maria erat pietas, morumque integritas, quodque notatu dignum est, ipse rigidiorem in se, benigniorem in alios se praebebat, assentationibus tamen infensissimus. Acre habebatur ejus ingenium, sermo doctus, ilaris, neque attici salis interdum expers. Statura fuit modica, vultu decoro et gravi. Valetudine autem adeo prospera usus est, ut quamvis ad longaevam pervenisset aetatem, omnes corporis animique facultates integras conservaret, ac de eo praedicari verissime posset (*) "*Sola ex senectute prudentia*" Verum aliquot menses ante ejus interitum, senectutis incommodis obnoxius fieri coepit morbisque conflictari; postremo in languorem prolapsus, tamquam lumen quod sensim extinguitur, religiosissime vivendi finem fecit V. non. mart. anno MDCCCXXXI. Conditus in sepulcro gentilium suorum ad S. Mariae in Vallicella.

Quamvis aetate admodum provecta decesserit, ma-

(*) Plin. ep. i. lib. 5.

ximum tamen apud omnes, qui ejus virtutes norant, sui desiderium reliquit. Romanae ephemerides ejus mortem concinna addita laudatione nunciarunt. Arcades redeuntibus ludis Olympicis, quum V. non. dec. MDCCCXXXIII illustribus sociis vita functis parentarent, tum in oratione doctissimi Praesulis Mezzofantii, tum in lectissimis versibus Jo. Baptistae Castellanii eloquentiae in Seminario Romano Doctoris honorifica de Tinellio mentio facta est. In *delectu sacrorum carminum*, quem nuper Pisauri edidit clarissimus Rethor Montanarius nonnulla Angeli Mariae carmina quoque retulit, adjecitque breve, sed perelegans Auctoris elogium. Tandem Franciscus Fabius Montanus, qui adolescens senem observabat, ab eoque summopere diligebatur, de Tinellio commentarium vernaculo sermone conscripsit.



Digitized by Google

NIHIL OBSTAT
LAURETUS SANTUCCI CENSOR FILOL.

NIHIL OBSTAT
FABIUS SORGENTI CENSOR DEP.

IMPRIMATUR
FR. DOM. BUTTAONI ORD. PRAED. S. P. A.
MAGISTER

IMPRIMATUR
A. PIATTI ARCHIEP. TRAPEZ.
VICESGERENS

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

Hexametri

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

ORATIO CHRISTI IN HORTO

Carmen

Vos ab olivifero pendentes vertice silvae
Et sacra divinis pedibus viridaria, tuque
In noctem spirans et per resonam convallem
Aura, movent sancti quam creber anhelitus oris
Ad patremque preces, arcanae conscia vocis
Sit mihi fas tacito vestros penetrare recessus,
Ut procul ex aliquo fruticeto, aut abditus antro
Divinam Sobolem miserandis motibus aegram
Contempler, si quidquam audire aut cernere fas est.
Ille quidem haud dubiam pro caris vadit amicis
In mortem: nam suadet amor jussusque Parentis,
Idque cupit: sed enim humano quoque sanguine cretus,
Ac velut oblitus coelestis originis, ultro
Haec etiam ut subeant, miserans incommoda nostra
Interjecta animo quadam ceu nube sequestra
In curas se se dat, tristitiamque, metumque.
Undique solamen removet: quin ingruit horror
E nemorum tenebris, refugit per nubila luna

Atque importuno nocturna silentia rumpunt
Obscenae cantu volucres, per saxa fragosus
Dat strepitus currens torrenti flumine Cedron:
Nec furiae desunt urgere licentius umbras,
Haec si tartareis permissa potentia monstris.
Hic varios volvit praesago in pectore sensus
Ingratam spectans urbem, simul omnia cernit,
Foedam ignominiam, tum quae sibi dira parantur
Instrumenta necis, jam jamque instare tremiscit.
Instat diffugium sociorum turpe, suoque
Ah! crucianda nimis crudeli funere mater.
Quin alia extimulant saevi argumenta doloris
Innumerae scelerum facies per saecula: tum quae
Innocuos mores et sancta exempla secutis
Supplicia intentant divini nominis hostes:
Nec minus exagitant olim exoritura. Suorum
Dissidia, atque errans variis in partibus orbis
Quandocumque in mores gens reditura profanos,
Atque abjurato subversa altaria ritu.
His super ut lethum avertat pallensque tremensque
Vota iterat caro non exaudita Parenti,
Sed quamquam Patris imperio parere voluntas,
Horrescit tamen, ut sublustri ex aethere missi
Auxilio indigeat solanti et voce ministri.
Non tamen effectum est, animo ut luctamen abesset:
Acrius at miseros mentis tolerare tumultus
Cogitur: augescunt curae, nec se capit intus
Jam vis interclusa mali, pulchrosque per artus
Sanguineae exsudant (visu mirabile) guttae.

Digitized by Google

Qualis in Arabiae frondescens finibus arbor,
Ferro intacta licet, spinoso cortice myrrae
Vi sua agit rimas, lacrymisque salubribus humor
Distillans circum felices inficit herbas;
Sic ros divinus sparsa in tellure rubescit.
Quid cessatis adhuc et quae mora tanta puellae
(Si vobis pietas est ulla) Sionides, et tu
Magdali dilectum non desertura Magistrum,
Dum socii ignavo indulgent sub nocte sopori
Bis frustra exciti, quamvis modo magna professi,
A quibus haud una potuit vigilarier hora?
At vos officium pudeat fugisse: jacentem
Tollite humo, manibusque piis sit cura legendi
Gramina purpureis graviter rorantia succis.
Ille tamen virtute sua consurgit, et agmen
Obvius armatum verbo prosternit; at ipsis,
Quos modo stare sinit, totum jam sponte cruorem
Atque animam magnam quantumvis prodigus offert.



Digitized by Google

II.

PETRI VOCATIO

Ecloga

PISCATORES TYRII ACON JOPAS.

Quo Phoenissa Tyros surgebat littore quondam
Clara opibus, populisque, jacent nunc dissita raris
Molibus et dudum fractis monumenta columnis;
Inque ruinosis habitat gens nuda latebris
Retibus, atque hamo tolerans incommoda vitae:
Belli adeo clades valuere et longa vetustas.
Forte ibi per noctem lustrabant littoris oras
Acer Acon juvenis, senio maturus Jopas,
Ambo Phoenices, habiles piscatibus ambo;
Ille Arabum ritus, hic sacra observat avorum
Christicola: et quoniam longos sensere labores
Eludi, vacuas retrahentes aequore nassas,
Ira incensus Acon tales dabat ore querelas.
O! qui me posuit deserto hoc littore, et artis
Damnavit durae, quae nec mihi sufficit escam,

Digitized by Google

Nec miseris requiem membris, nec praebet amictum:
Dum mihi vel studio noctes vigilantur inani,
Vel si fors praetenta vagos in retia pisces
Compulerit, scopulisque legam conchylia nostris,
Optima quae Tyrio praestant conchylia succo,
Nil ingrata juvat plenis petere oppida cistis,
Urget ubi incautum furantis turba popelli,
Et lucra mercator certatim avertit avarus,
Et praetor partem, vectigalisque redemptor
Deposcunt, dextramque miser vacuam ære reporto.
O! si qui comites, audax pirata per altum
Ire queam, ferroque opulentas ducere praedas;
Aut fractis calamis, laceratis cassibus heu me
Praecipitem e saxo in medias trahit impetus undas.
Sed placidis rabidum dictis solatur Jopas:
Parce precor tanto puer indulgere dolori,
Dum sic te excrucias, amentia creverit; imo
Pauperiesque laborque magis sedare tumultus
Mentis, et insanas poterunt depellere curas.
Nec tu laudaris, si quos aspexeris usquam,
Queis gemmata caput multo zona implicat orbe,
Queis pulchras cultu famulas conclave reservat,
Delicias miseras: nam saepe nigerrimus istis
Impendet laqueus, semperque pericula terrent.
Neu te poeniteat cymbae vel arundinis, audi:
Haud procul hinc gemina manans ab origine, amoeno
Amne Palaestinos Jordanes perfluit agros,
Bethsaidam stagnans, lati maris instar, ad urbem.
Hinc mea relligio, quam me docuere parentes.

BIBLIOTHECA CARD·H·CASAN·D·O·PRED

Digitized by Google

Namque Dei soboles, hominis sub imagine, lectos
Adscivit comites, non quos clarum genus, aut quos
Divitiae decorant; sed quos ea stagna phaselis
Lustrare exiguis, piscatu et quaerere victum
Noverat. Ex illis habitus primo ordine Petrus
Claruit et studio, divini et amore Magistri.
Quid tibi commemorem modo tot miracula rerum?
Ut, dum tempestas oritur sine sidere, lethum
Intentans illi et sociis, discrimine in ipso
Numinis adfuerit trepidis praesentia, saevum
Quae mare componit, sedatisque imperat austris;
Utque is jussus inops argentum pendere regi,
Oblatum inveniat praedivite piscis in ore.
Ut summo accitus vestigia ponere fluctu,
Dum trepidat, dum aurae magis et magis increbescunt,
Coelesti teneat dextra, monituque Magister:
Nec semel expertus, quam longa est, nocte per undas
Humida jactari incassum sine pondere lina,
Mox sancti Ducis adventu succedere praedam
Senserit, admirans immania pondera cymbae:
Ut bonus haec illi divino carmine pastor
Dixerit: undosum ut verrit mare vasta sagena
Squamigerumque capit late genus omne natantum;
Sic homines capies opera ad meliora vocatos.
Evenere: manent seros ea fata per annos:
Namque refert hospes (nostro qui solus in antro
Erigit adveniens aram, hortaturque, docetque)
Esse in longinquis clarum regionibus amnem
Si memini, Tibrim praecelsa ad templa fluentem

Digitized by Google

Quo piscatoris Galilaei membra sepulcro
Conduntur, Cilicisque simul veneranda sodalis.
Illic sacrorum custos, cui summa potestas,
Advigilat, qui seu commissa piacula laxat,
Seu forte ad magnos mittenda est littera reges,
Seu grave quid statuendum, adytis servatus in imis
Annulus, et sacra Piscator imagine sancit,
Et quae divino signatur stemmate navis,
Navis non carie, aut ullis peritura procellis.
Tantus honos nostrae, demens quam despicis, artis.
Hic mentem potuit juvenilem flectere sermo:
Quaeque ars displicuit, coepit jam pulchra videri.



Digitized by Google

III.

DE PETRO ET PAULO

APOSTOLORUM PRINCIPIBUS

Carmen

Custodes urbis geminos, qui sanguine nobis
Sacravere suo hanc patriam, decoremus honore
Promerito, et mortis sit fas evolvere caussam.
Non tantum Isacidas, sed cunctas undique gentes
Ad superum acciri sedes, divinitus illi
Monstratum, quem pascere oves oviumque magistros
Jusserat aeternus pastor: via prima salutis,
Pandita Romulidis: tibi enim dux inclyte fines
Jusse Palestinos Itala servare cohorte,
Corneli, Galilaeus adest arcana sacerdos
Qui doceat, subitoque afflatum numine lustret,
Numine quod Syriam ac totum mox compleat orbem,
Tu modo commissas acies atque arma reducens
Optime Trojugenum, peregrinum ad Tibridis arva
Presidium comitemque viae tibi jungere gaudes.
Is genere obscurus cultuque ignobilis, at vox

Plusquam hominem sonat, et coelestis fronte relucent
Signa ministerii sociis miranda, vel agmen
Quae circum volitant, aquilis veneranda Latinis.
Hospitio excipiunt locupletis tecta Pudentis,
Quo gens agnato claret Cornelia, cujus
Jam soboles pietate decus superabit avorum
Cum Praxede soror, sacris par nobile fastis.
O juga septenos inter felicia colles
Exquiliae, vos prima novo mysteria ritu
Vidistis, primum exiguo concurrere coetu
Aeneadas, sanctamque edisceré ab hospite legem.
Hinc magis atque magis per magnam diditur urbem
Relligio, plures illam accepere volentes
Plebs proceresque, lares illi patuere potentis
Narcissi, paret stupidi cui lauta Tyranni
Regia, divitias inter moresque superbos
Mille inter scelerum formas ritusque profanos,
Atque ubi Fabricios, Curiosque oblita severos
Colluvie horrebat probrorum perdita Roma
Mirus paupertatis honos sanctique pudoris,
Justitia, incorrupta fides, et candida virtus
Invenere locum, veluti squallentibus arvis,
Qua tetri horrificis habitant in sentibus angues;
Hinc tamen interdum florescunt lilia, et inter
Lethiferas redolet panacea et amaracus herbas.
Inde ferox Latium passimque Oenotria tellus
Purgatis castas posuere poenatibus aras
Coelicolum regi: discunt nova sacra coloni
Alpibus aeriis et nubifero Apennino.

Digitized by Google

Nec minus interea populos prospectat in omnes
Impiger antistes: alii nec segnius instant
Delecti vates, quorum non plena laboris
Nulla fuit regio. Sed quis te, Saule, relinquat
Indictum, vel quae passus terraque marique?
Dum quae oppugnaras, conversa mente docentem
Acriter antiquae cives stupuere Damasci,
Et Phryges et Cilices et Achaja, foedaque templis
Cypros, et ignotum scrutantes numen Athenae?
Jamque reformato gens aurea surgere saeclo
Coeperat; exarsit furiis, dextramque momordit
Anguipedum princeps geniorum, ut tendere frustra
Se vidit, saepe incassum coelo arma moventem.
Nec tamen absistit, veteri sed callidus astu
Conjunctis Circo speculans prostare tabernis
Pingue genus merces, conjecit in intima taedam
Tartarea accensam fornace: rapitque repente
Undique materies flammam, quam protinus auget
Vis fera ventorum furiali concita monstro:
Perque domos late ac delubra incendia serpunt;
Nec datur effugium, trepidi juvenesque senesque,
Dumque suis matres tentant infantibus ignem
Excutere, ardentes ipsae periere: ruinam
Romuli et Evandri monumenta et plurima passim
Dant versa in cinerem longos servata per annos.
Quam cladem meditans alienae vertere fraudi
Idem opifex, alios antris emittit Avernis
Lucifugos fratres, et eorum fingit in ora
Ac facies populo invisos, quos aula Neronis

Digitized by Google

Tunc habuit scelerum comites, visaeque per urbem
His larvae similes ignem supponere tectis.
Credita res odia exacuit, saevumque tyrannum
Arguit auctorem, solita qui percitus ira
(Suadet enim latitans pestis) vulgique minantis
Invidiam pavitans, semustae crimina Romae
Immeritis tribuit, ritu qui sacra recenti
Innocuo exercent placidi sanctissima coetu.
Continuo arreptis dira ac sine more parantur
Instrumenta necis, fesso tortore, flagellis
Et crucibus multi affixi: pars pelle ferarum
Villosa induitur, morsu et laceranda canino
Ludicra inhumano praebet spectacula Circo,
Rex ubi crudelis gaudet versare quadrigas:
Pars pice contecti, nocturni in luminis usum
Flagravere; trucis ferales Coesaris horti
Artubus humanis nutrita lampade lucent,
Et quae plura piae fugiunt meminisse Camoenae
Ni tu diva illos æstu relevaveris Aura,
Qua pueris steterat Babilone innoxius ignis.
Quae regio interea, qui vos tenuere labores,
O tu, cui late custodia credita rerum,
Tuque heros divum interpres Perseide Tarso
Curarum socii? haud timidos revocavit ad urbem
Vix audita gregis caedes, succurrere promptos
Spe monituque suis, et magna exempla daturos.
Vadunt haud dubiam in mortem; nec timet alter
Quam sibi noscebat praenuncia verba Magistri
Ad freta Genesarae quondam portendere mortem,

Digitized by Google

Suppliciique genus, quae vis, quae gloria mortis.
Alter olimpiacae veluti qui praemia palmae
Sperat, romuleum cupide subit obvius ensem.
Fortunati ambo, quorum commune sepulcrum
Roma colit, cunctisque petit gens advena terris:
Este urbis columen, neu vos aspernatis honores
Quos precibus, quos thure damus, nec temnite si quo
Parrhasiae plaudunt resonantes carmine lauri



Digitized by Google

IV.

MAGDALENÆ PLORATUS

Ecloga

Carmina Bethanicae referamus moesta puellae,
Carmina quae quondam memores audita notarunt
Cimberius simul et Liscus piscator uterque,
Qua velox Rhodanus se lata per ostia fundit,
Massiliaeque procul fruticosa cacumina montes (1)
Ostentant pelago: piscosis scilicet illis
Littoribus soliti peragrare, ac tendere nassas:
Quin etiam experti, vicina ubi stagna redundant
Mugilibus, quos ut capias nil retia prosunt,
Per vada nam fugiunt in apertum, voce vocati
Ni magna, adversum properent Delphines ab alto
Ad praedam socii, capturae et fercula ovantes.
Illi sub tacita peterent dum nocte propinqua
Oppida laturi contexto in vimine pisces
Intervalla viae vario sermone levabant:
Nuper Idumaeis rate parva a finibus illa

(1) Plin. lib. 9. cap. 8.

Ad freta cum redivivo advectas fratre sorores,
Quos odia exegere superstitiosa suorum,
Et ritus docuisse novos, unde aurea surgit
Relligio: atque huic tam multas se adjungere gentes,
Quam multas zephyrus conchas ad littora cogit,
Sanguineis vernat quot lotos aquatica baccis.
Talia dum memorant, non longe apparuit illis
Rupe sub aeria tetro spelunca recessu,
Fons ubi per vepres, praeruptaque saxa volutus
Murmure raucisono nocturna silentia rumpit.
Ecce autem ex antro species veneranda puellae
Prodire aspicitur vultu radiante per umbras,
Squallidula veste, ac longis per colla capillis,
Confecta illuvie, macieque; sed omnis ab illa
Non tamen abscessit rari sua forma decoris.
Haec Magdalis erat, quae dudum huc advena, solis
(Ut fama) in specubus vitam, luctuque trahebat.
Tunc illa ardentes oculos ad sidera volvens
Anxia promebat dulci suspiria cantu.
O Divine, inquit, mea lux, mea vita, Magister,
Heu quibus in terris, qua Te regione revisam,
E nostris ereptum oculis, postquam astra petisti?
At licet absentem, te certe semper amabo:
Nec minus os, oculosque tuos, ac verba recordor,
Quando me tua complexam vestigia, pacis
Foedere donasti, commissa piacula solvens:
Imo etiam nostrum non dedignatus amorem
Bethanices hospes subiisti saepius aedes;
Voce potens animam fratris revocare sepulchro.

Digitized by Google

Me quoque, ut electa meliori parte probasti
Dum recolo, quae me coelesti affabilis ore,
Quaeque alias cymbae insiliens, matresque virosque
Collectum aprica docuisti vulgus in acta.
Mox in olivifero nocturnis colle tenebris,
Quod sibi non licuit tristissimo adesse Magistro
Illa dolet, guttasque abstergere fronte cruentas,
Sedula quae melius vigilasset opemque tulisset,
Quam fusi per humum comites, somnoque sepulti,
Dum morti ac manibus non inscius ille furentum
Perfidia, ac scelere objicitur venalis alumni.
Hinc visu lacrymanda refert spectacula, ut illum
Viderit exedra ostensum Praetoris ab alta;
Viderit ipsa suis oculis immania passum
Verbera, et ulceribus lacerum, et ludibria vestis
Purpureae, et genus heu! cruciatus: tempora dumis
Saucia confixis, tamen illi extrema precatur,
Instigante astu procerum senibusque malignis
Supplicia acclamans ingrati turba popelli!
Nescia tam misero adspectu mansuescere corda.
Post haec immeritam ad mortem comitatur euntem,
Durum humeris truncum, necis istrumenta trahentem
Saepius ad saxa offensum, genibusque labantem,
Foemineos inter gemitus, quos inter et ipsa
Alma Parens: sed enim certo quae numine nosset
Id fieri, invictum premit altum corde dolorem
Spectatura sui crudelia funera nati.
Inde animo visam sublimi in imagine pugnam
Narrat, difficilesque obitus, quando ille laborat

Digitized by Google

Infando affixus ligno: mirabile! vitam
Protegere augustam visa est Aphtarsia Diva,
Ore vigens juvenili, aeterno haerentibus alis
Nexu elata ab humo, viridi pulcherrima veste,
Aurea perpetuo contexta monilia circlo,
Purpureique gerens sertum immortale amaranthi.
At contra coelestis amor, stellante corona
Armiger adstabat, cui strenuus ales, aperto
Dilectos pascens pelicanus pectore natos
Ardebat culpas populi ferale merentis
Exilium, Juvenis divini morte piare.
Tela hujus crebrosque ictus Dea nescia mortis
Fatalem clypei opponens adamanta retundit.
Quum superi horrerent, tenebrisque ac motibus orbis
Concussus validis tremeret certamine longo:
Exsuperat tandem vis omnipotentis amoris,
Qui sacrum in corpus conjecta cuspide, summo
Immortale Patri caput immolat atque ita fatur:
En Amor hanc animam luctantem corpore solvo.
Talia Cimberio, Liscoque stupentibus, illa
Dum meminit plorans, aurora in vertice montis
Incipit, ac longe tremulo illucescere ponto.
Compressit vocem, ac gelido se reddidit antro.

Digitized by Google

V.

ACTIUS SINCERUS

Filius Hominis non venit ministrari, sed ministrare.
Matth. 20.

Ecloga

Monte sub aerio Miseni per juga Damon
Et Celadon pecudes, dum pascunt, impulit illos,
Velleribusque gregem madidis succedere in antrum
Incumbens campis brumali frigore nimbus.
Tunc silice excudit, foliisque arentibus ignem
Accendit Damon, calida et versare favilla
Castaneas curat: talis dum coena paratur,
Nec deest, quae lateri pendet comes, amphora vini,
Ingratum cantu fallunt et arundine tempus.
Forte supervenit nimbo comprehensus eodem,
Actius, hac dum tendit iter, Sincerus; amicae
Semper erant cui per nemora ac per littora Musae,
Atque ait, o pueri, vos carminis ecquid habetis?
Dum fera tempestas saevit? Cui talia Damon:
Tempus adest pluviosi solstitiale decembris,

Quum squallet sine flore solum, sine frondibus arbor
Praeliaque hinc miscent Notus et teterrimus Auster,
Hinc Boreas; late in campis toto aere ningit,
Nec quis maturare potest, quorum indiget usus,
Et pecori morbos intentat frigidus imber.
Quae Musa, aut quinam pastorum lusus in arvis?
Prosequitur Celadon. Cantando fallere curas
Nitimur incassum. Prosint heec forsitan illis
Cessantes bene structa habitant qui moenia cives;
Qui tepidis brumam thalamis et vestibus arcent;
Perqne hyemem laeti inter se convivia curant.
Quin etiam quondam, si rite audita recordor,
Mos fuerat priscis, ut libertate decembri
Posse frui sinerent servos, ultroque vocarent
Rure domum laetos, dominusque ergastula solvens
Gaudere hortatus mensaeque accumbere herili,
Et miseris epulas et dulcia vina parabat.
O si fata mihi dederint, illic ubi talis
Mos (ajunt pulchro in Latio) tunc degere vitam,
Uvidus hiberno non tam turparer ab imbre.
At Sincerus ad haec, docto sic incipit ore.
Cur ignare breves ludos, ritusque profanos
Quos bene non noris, memoras? Quid sacra decembris?
Nescis, quae multo passim recoluntur honore?
Namque Dei soboles humili sub imagine servi
Ad terras superi descendens aetheris arce,
Ut miseris afferret opem dignatus et idem
Serviles habitare casas, pecudumque rigenti
Parvulus in stabulo coelestia membra reponit.

Grandior atque illi quum mox adoleverat aetas,
Illum non piguit fabri exercere taberna,
Vile ministerium: postremo accire sodales
Nuda plebe ortos summisque imponere rebus.
Nec dedignatur posita consurgere mensa
O pietas! famulisque lavat vestigia pronus.
Quin etiam victo ut redit immortalis ab orco
Suppliciter tristi famulae se prebuit ipse
Veste sub inculta ceu custos pauperis horti.
Non haec, quae mussas veterum ludicra Quiritum,
Verum ut ferret opem miseris, ac sede juberet
Regnare aeterna, mensisque assidere Olympi.
Virginei partus qua nunc solemnia pompa
Parthenope celebret nescis? Praesepia tectis
Ut simulet mire veras imitantia formas?
Luminibus rutilant undae crateris amoeni,
Tibia multa sonat per noctem; et culmine ab alto
Quid mea Mergellina, ubi nos sacravimus aras
Divino Puero pecora inter agrestia nato?
Et cecini longum, nec forte ignobile carmen.
At quae festa agitat rerum pulcherrima Roma?
Jam dudum amiserunt Saturnalia nomen.
Aurea coelestis Pueri cunabula templo
Ingenti populus veneratur: rite Sacerdos
Thure colit, cunctis celebrat gens advena terris.
Romae etiam (ni falsa cadent praesagia) nostris
E studiis olim nostroque e carmine nomen
Arcadia accipiet, vatum decus; ac mihi multis

Carminibus laudem renovabit grata quotannis (1),
Postea si cessant, ignoscam: dum tamen illos
Divinae numquam capiant oblivia Prolis,
Cujus Parrhasios stabit tutela per agros;
Haud umquam immemores cessent solemnia vates
Arcades et cytharis festa et celebrare Camoena.
Dum canit: interea nimbi mitescere coepit
Impetus, et Borea motari silva sereno.



(1) Desueverat Arcadum mos, ut quotannis stato die Actii Sinceri (Jacobi Sannazarii) laudes carminibus canerent.

Digitized by Google

VI.

OB PROVINCIAS
ANNO 1814
ROMANO PONTIFICI
RESTITUTAS



Carmen

Assyrio quondam delata e littore Cumas,
Numine veraci cui mens afflata, sub antris
Horrificis habitans, vetus est ut fama, Sybilla
Ausonias docuit non vana oracula gentes.
Nam fore progenies Coelo ut mittatur ab alto,
Quae priscum scelus avertat, pacemque reducat
Illa et opes urbis cecinit casusque futurae
Ingentem factis toti dominarier orbi,
Sed tandem populum nimia jam sorte superbum,
Quandocumque id erit, versis succumbere fatis,
Unica sed miseris spes ostentata salutis
Relligio, atque piis placandae moribus irae
Numinis. Extremum jam bis subitura periclum
Visa est Roma patrum monitus oblita severos.
Primum mole sua vitiisque opibusque laborans

Inclita ad invisos translata insignia Thraces
Imperii amisit, majestatemque Latinam.
Ex illo spoliata agris, spoliata trophaeis
Barbaricas voces trepidare, Getasque tyrannos,
Saepius et diris misere populata rapinis.
Sed tunc Romulidis longo in discrimine rerum
Profuit ex adytis Laterani supplice pompa
Prolata effigies, omnis ceu credidit aetas,
Coelesti fabricata manu, tum vota precesque,
Cum plebe Antistes quae fudit maximus, et quem
Excivit pietas, rex auxiliaribus armis.
Res versae in melius: populi rediere volentes.
Ut vero steterit sacro moderamine regnum,
Ut jam floruerit tot jam volventibus annis
Omnia jam vulgata; et vos ne evolvite Musae,
Quae modo pertulimus, supera ut qui regnat in aula
Non dubiis signis metuendam ostenderit iram:
Bella, trucemque famem, labefactas moribus urbes,
Quaeque fugit meminisse animus. Sed Praesulis almi
Quo magis invictum nil jam vidisse vetustas,
Posteritasve potest, duro constantia casu;
Et pietas Romam, et venerabilis infula texit
Labentem, et vindex ablata recepit inermis
Oppida. Clara dies rutilat, cujus quoque famam
Aeternam expectant magnorum foedera regum
Et Latii Herculeo signandi nomine fasti: (1),
Res quoniam lapsas fortuna alterna revisit:

(1) Card. Hercules Consalvius Pii VII administer clarissimi nominis.

Ut viridi in clivo, fluvium seu propter amoenum
Jam ferme aruerit succisa bipennibus arbos,
Excussa aut ventis: humili sed stirpe renascens
Surculus exierit, nec longo tempore ramos
Naturaque soli, coeloque juvante patentes
Proferat, inde avibus nidum sub fronde canoris,
Et pecori gratam foeto et pastoribus umbram.
O decus Italiae, rerum pulcherrima Roma
Auguror? anne novus seclorum nascitur ordo?
Ecce iterum tibi sacra sub ditione fluentem
Fluviorum regem Eridanum per pinguia rura.
Jungitur ingeniosa opifex et clara Lyceo
Felsina, et Aemiliae regio campisque virisque
Dives, et Adriaci late gens accola ponti,
Quaeque tenet laeto spatiosas ubere terras
Picentum, fortisque Camers, cui pinguia pascunt
Armenta, et gelidum rastris colit Apenninum.
Aspice et ad vetera Hirpinos accedere jura;
Qui foecundo habitant Diomedis moenia campo,
Moenia, quae fausto mutarunt omine nomen.
Quaeque jacent Lyris prope littora curva Fregellae
His sociis, quique e Latio priscisque Sabinis,
Atque Umbris, Tusca et quotquot vicinia servat,
Romula se quantis attollet gloria rebus!
Si modo rite sequens divini jussa Magistri
Jungat felices amor, et concordia cives;
Casta pudicitiam servet domus, utile cunctis
Quod justum, docilisque probis ornata juventus
Moribus, ingenuas patriam ditare per artes

Et defendere amet: maneat reverentia patrum
Et Vaticani a geminis Custodibus olim,
Sacravere suo qui nostram sanguine terram,
Tradita Relligio Romam tutetur in aevum,
Ne rursus timeat Cumanae aenygmata vatis.

Digitized by Google

VII.

IN FUNERE
PRÆSULIS BENEDICTI STAY

Carmen

Quandoquidem Alphei lectos in margine flores
Quaerere, quasque ferunt bacchas fruticeta Licaei
Bruma vetat, glaciesque, tuum ut decorare sepulcrum
Areta liceat, nostri prudentia secli,
Teximus en ramos doctae quos Palladis arbos,
Aeternumque virens Phoebi quos laurea praebet:
Nec tibi displiceant gemina de fronde corollae.
Namque tibi carmen facili deducere Musa
Vena fuit dives, fuit et sapientia cantu
Exposuisse tuo, gelidis quae finibus errans,
Et dubitans, tacitoque diu meditata recessu
Scripsit Aremoricus sapiens, coalentia in omnes
Vortice perpetuo naturae elementa figuras:
Quaeque alter Sophus experiens, ut quaeque cohaerent
Corpora, quaque micant mundi miracula lege
Edidit: haec nostra cecinisti doctus in acta;
Materiem haud facilem tractari carmine; et addis

Ambitio ut fugienda, novis nisi forte repertis,
Unde animis rutilet nova lux, moresque regantur.
Sic memorant, vates populis documenta vetustos
In Rhodope glaciali, atque Actaeo Aracynto
Per gratum lenita melos discenda dedisse.
Vatum certus honor: sed enim gens dedita lucro
Despicit illa sophos, et despicit illa poetas,
Quae lauro, clamat, species? quae gratia myrtho?
Heu sophia incedis scissa seminuda lacerna.
Scilicet ista tibi quamvis opprobria vertant,
Fortuna omnipotens, dominatrix maxima rerum
Cui Praeneste adytum, cui Volsco in littore templum,
Quam celebri doctae fano venerantur Athenae,
Quippe tuus jocus est, quod tales passa jacere;
Contra opibus cumulas, seu quos audacia tollit,
Seu per humum vafri qui alta ad fastigia reptant.
Attamen interdum virtus supereminet, ales
Fulva Jovis veluti radiis volat obvia solis,
Vel quamvis celata, suo se lumine prodit.
Sic merito Aretae sacram patefactus ad aulam
Est adytus: summis illius cognita virtus
Patribus et spectata fides, multosque per annos
Claruit in gravibus doctrina exercita rebus,
Ingenium et latiae linguae vis aurea, multa
Laude laboratis ad magna negotia chartis,
In quibus externi proceres, populique remoti
Mirantur ritum, majestatemque latinam.
Sic illi decus et censum tribuere Camoenae,
Sic et amicorum cultum, obsequiumque faventum;

Tristis at haec rapuit tibi, quae rapit omnia Parca.
Te manet Areta, decus immortale, beatos
Quod vatum celebras coetus, lucosque piorum.
Sunt tibi quos genuit cives Epidauria tellus
Doctrina insignes quondam et pietate sodales
Alter, natura semota impervia visu
Vestigare sagax arcana Matheseos (1): alter,
Moeonium Ausoniis numeris qui vertit Achillem,
Multi praeterea nostris qui montibus atra
Occubuere die, quorum post fata superstes
Vivit, et aeternum vivet per secula nomen.

(1) Rogerius Boschovichius, et Raymundus Cunichius uterque e S. J.

Digitized by Google

VIII.

IN FUNERE

MARIÆ CUCCOVILLÆ PIZZELLI

ROMANÆ

Silva

Dum properant rapidis ad rura Albana quadrigis
Aelia munditiis simplex et scita Fabulla,
Romulidum charites, sero jam vespere, utramque
Doctiloquam versat sermunculus, Appia longe
Qua campos secat, et propius monumenta latinae
Per tumulos deserta jacent, ubi frondet amoena
Valle nemus, cujus ramis obducta vetusto
Restat adhuc opere exesis spelunca sacellis
Musarum, medioque sedens annosa recessu
Nympha sacrum fundens herboso margine fontem,
Unde Almonis aquae Tiberis labuntur in alveum
Hinc exaudiri sonitum, et modulamine mixtam
Mirantur querulo cytharae increbescere vocem.
Jussus equos auriga inhibet, dum caussa patescat.

Digitized by Google

Musarum vox illa fuit, quae funere Lydam (1)
Flebant, ah! doctam Lydam sub colle Quirini
Extinctam nuper; gemitus per devia saxa
Aonidum resonant, et caligantibus arvis.
Atque hic visa caput desueto extollere amictu
Ex antro Nympha, et clarum depromere carmen:
Illa ego Romani consultrix provida regis
Egeria: adspectum ne vos horrescite amicae:
Res etenim Romana stetit, dum nostra Quirites
Non piguit responsa sequi, quae prodita silvis
Vallis Aricinae fundarunt legibus urbem.
Nec modo relligione virum et virtutibus auctum est
Imperium, ast etiam laribus custodia parcis
Matronale decus, magnae pars altera Romae.
Mox tamen inversos dolui per saecula mores
Et plerosque nihil patrium, nisi nomen habere.
Laudo equidem, si quas Sophiae, vel Apollinis ardor
Incessit Latias (nec parva ea fama) puellas:
Dummodo ne tumidae calathos ac pensa reponant,
Utile opus manuum, tales Pallas quoque damnat:
Aut ubi nec soboles cordi est, nec cura peculi,
Dum matrona vacat positus ediscere mundi
E tabula pictos, Tongillo adstante magistro,
Cui nardum redolent coma tonsa, hirsutaque menta
Sacrificos ritus ridente et scita Catonum.
At non illa recens, cujus flet Roma sepulcrum,

(1) Hoc nomine appellavit hanc foeminam praestantissimi ingenii, graecis latinisque litteris edoctam Vir. clariss. Raymundus Cunichius e S. J. in carminibus ad ipsam saepe numero missis. Desiderata est Romae anno 1807.

BIBLIOTHECA CARD. H. CASAN.

Digitized by Google

Talis Lyda fuit: par illi et ad utraque felix
Ingenium: regimenque domus studiumque Minervae
Exacuit prudens, quibus aequas dividit horas.
Quin et vos testes aequum est meminisse Camoenae;
Vos namque illius solitae celebrare penates
Vidistis saepe, ut charos, sua pignora, natos
Erudiit pietate parens, monitisque severis,
Nec Tanaquil dominata viro, sed sedula conjux
Rem juvat in partem, moderato ut splendeat usu.
Quam bene Penelopes visa est operosa supellex
Socraticam decorare domum, urbanumque lyceum,
Quod procerum eximio coluit sapientia coetu:
Quos inter gravibus de rebus Lyda loquentes
Foemineum haud oblita decus, licet omnibus ipsa
Doctrina Ausoniis praecelleret heroinis,
Discere adhuc cupiens, non ut Carmenta sedebat.
Exemplum hoc laxis oppono moribus: hoc vos,
(Si quid honos tangit patriae, aut spes ulla nepotum)
Romuleae spectate nurus, spectate puellae.
Plura videbatur subjungere carmina: verum
Dum trepidant, vocem abrumpens se condidit antro.

IX.

CATO

EX ROMANORUM LUXU PRAEDICIT REIPUBLICÆ EVERSIONEM

Carmen

Foemineam turbam suffragia blanda Quiritum
Per fora perque vias urbis sine more rogantem
Lex nimii ut caderet moderatrix Oppia sumptus,
Consulis est virtus rigidi indignata Catonis,
Atque ait, o miseri, quae tanta ignavia cives?
Si laribus vestris nuptas cohibere nurusque
Deficit imperium, dominas sperate futuras.
Heu, via luxuriae quam libera panditur, hujus
Foemina si excutiat sanctae moderamina legis.
Nam quibus est auri parvo semuncia cultu
Mox erit auratis se se ostentare cupido.
Nec pudor ullus erit miseros vexare maritos
Nullaque poscendi reverentia; sive placebunt
Ut vicina gerit fulgentes murice vestes,
Seu peregre advecto crines perfundere odore,
Sive utcumque emptis pretiosa monilia gemmis;

Digitized by Google

Ambitio scindet bellis muliebribus urbem.
Aemula patriciae lanionis divitis uxor
Carpento insiliet mediis spectanda Carinis :
Nitetur frustra parci matrona Fabrici
Plautillam superare mariti foenore lautam.
O pietas, o casti antiquo tempore mores:
Quum patriae studio visae omni ex ordine matres
Detractum digitis aurum colloque monile
Voto victori Vejorum offerre Camillo.
Omnia mutantur: nec quod Carthaginis arces
Devictae, nec quod Romana potentia crescit,
Proinde minus timeo: Marcelli elata triumpho
Signa magis terrent, statuae tabulaeque Corinthi,
Quoque aquilae nostrae tendunt, Asiatica tellus.
Haec nos divitiis falsa et dulcedine luxus
Inficient: mox contemnet Romana juventus
Fictilium simulacra Deum: convivia ducent
Pro bove perpetuo structis acipensere mensis.
Inde fames auri crescet. Qui jure regendos
Ad populos Praetor veniet cum fascibus olim
Is sibi fas ducet, socios spoliare rapinis
Romuleas vertens praedonis in arma secures.
Proloquar an sileam? Luxu labefacta peribit
Roma opibusque suis: utinam sim falsus aruspex,
Auguriumque velint superi disperdere in auras.

Digitized by Google

X.

DE ORNATISSIMO PRÆSULE

LAURENTIO RUSPOLO

FERRARIAM ADVENTURO VICELEGATO

AD

NICOLAUM MARIAM DE NICOLAIS AMICUM

ROMÆ DEGENTEM

BIBLIOTHECA CARD·H·CASAN·IC·O·PRÆD

Epistola (1)

Carmina dum mittis non inconcinna Morolli,
Insigni titulo quae Ruspolus ornat, amice,
Me quoque compellas atque exhortaris, ut hujus
Vatis ab exemplo citharam calamosve retentans,
Promeritos reddam, faveat modo Phoebus, honores
Romuleo juveni, cujus nomenque decusque
Aequari aspiciet pulchris Ferraria factis.
Ille quidem (nec vana fides) monumenta suorum
Antiqua Marii relegens ab origine Scoti (2),
O quae spondet adhuc ingentibus inclita coeptis!

(1) Ferrariae scripta, anno 1780 occasione cujusdam elegiae Johannis Morolli Roma missae.

(2) Vide dedicationem Musaei Kircheriani Ph. Bonanni, ubi de B. Hyacintha Marescotta aliisque nobilissimae familiae proceribus.

Digitized by Google

Nam primis tenerum si cor formavit ab annis
Relligio, puerum sancti documenta pudoris
Edidicisse putem gentilis imagine divae,
Quae rigido quondam latitans Hyacintha recessu,
Coelicolas inter summis nunc fulgurat astris,
Florentes ferulas et grandia lilia gestans.
Quid? quae doctrinae studia et prudentia rerum,
Haudquaquam desunt exempla domestica: lucent
Ostro conspicui, Rainerus Palladis artes
Edoctus, Romaque sagax Galeatius olim
Sarmatico Regi, Regi legatus Ibero.
Quid memorem proceres? Gens prisca obtemperat ollis
Urbis Agyllinae, rari et cumulantur honores
Martigena in populo, rutilantque insignia gentis.
Quidve? triumphales auxit qui milite colles,
Divitiasque suas patriae largitus, ephebum
(Dulce decus) gnatum molles sudare lacertos,
Insolito armorum gaudentem pondere, jussit.
Ast aetas quos nostra tulit, quos lapsa vetustas,
Deliaco heroas cunctos sermone referre
Non opis est parvae: Laurentius editus istis
Usque adeo carmen meditanti sufficit amplam
Materiem: mitto celebri viguisse lyceo
Nobilis ingenii specimen tragicoque cothurno,
Et vestigatas revoluto codice leges.
Publica quum primum suscepta negocia, promptus
Transilit Ausonios, nemorosa cacumina, fines (1)

(1) Missus fuit a Summo Pontifice Pio VI. Ablegati Apostolici munere ad deferenda Birèta ad Emos Card. a Batthyan Archiepiscopum Strigoniensem, et a Franknberg Archiepiscopum Mecliniensem.

Caesareas Ister quas praeterlabitur aedes.
Hunc Alpina procul pubes prospectat euntem,
E latebrisque cavis et verticibus praeruptis
Attonitae speculantur Oreades; ut sacra portet,
Germani ritu capiant quae munera Patres,
Munera digna viris, Tyrio spectanda colore,
Missa Quirinali ex adyto: spectandus ut ipse
Egregia perfusa gerat violaria veste:
Monstret ut incessu genus officiique decorem,
Atque ministerium majorum more Latinum.
Hinc postquam repetis dites generose penates,
Ah tibi quae pietas, magni quae cura Parentis!
Sed tamen abstineat moesto vox devia cantu:
Namque is dum sequitur, quibus est jam vita peracta,
Felices animas; nova tibi munia restant,
Et labor et virtutis iter: jam curia solers
Est vires experta tuas gentesque togatae:
Jam Vaticano vigilat qui culmine Princeps,
Perspexit satis, atque opera ad majora remittit.
Nunc age, Tarpejas dum rursus deseris arces,
Nec te blanditiis remorata est optima mater;
Ne Phaetonteis pigeat considere terris.
Te digne excipiet gestis animoque decorus (1),
Eximiis quem natum atavis felicia norunt
Moenia Parthenopes et amabilis ora Vesevi.
Hic mira commissa sibi regit oppida cura:

(1) Card. Franciscus Carafa e ducibus Traiecti ad Lirim, Ferrariae Legatus: deinde a Diplomatis Pii VII. Pont. Max.

Hunc certum contemnere opes (rarissima virtus)
Hunc trepidat scelerata manus: legesque ferenti
Romani praeeunt fasces et purpura fulget.
Heic etiam Latio pastorem sanguine clarum (1),
Cujus prisca domus Vejentibus imperat arvis;
Plurima quem pietas adolendis occupat aris,
Intentum populis caelestia verba docendis,
Et lituo ornatum et castis mirabere vittis;
Et late augeri cultum et donaria templis.
En tibi gratantes procedunt ordine cives,
Accurritque alacris laeto provincia plausu.
Trojugenae venias, decus immortale juventae,
Quidquid ages, te laus ingens ac fama sequetur.
En tibi stat Themis alma comes, stant aurea jura,
Quum resonent acres circum subsellia lites;
Quumque tibi detur pravos tutoris iniqui
Propulsare dolos, pacemque inducere tectis:
Aspice cum nato viduatas supplice matres,
Et flentis precibus pupilli assuesce vocari.
His illum affari, quin et potioribus optem
Laudibus: atque utinam, gradiar si lentus ad undas
Eridani, mulcens altas mea tibia ripas,
Incipiat dignos venturo Praesule versus,
Quos non poeniteat nostram cecinisse Thaliam.
Sed mihi quod prohibet dudum subtristis Apollo,
Id poterunt alii, quorum est heic copia, vates;

(1) Alexander Matthaejus Archiepiscopus Ferrariae, qui postea S. E. R. Card. Decanus.

Hosque inter, vario qui postquam carmine lusit (1),
Mox hominum ac superum regem canit heu fera passum
Supplicia! ultro animam misera pro gente dedisse,
Grande sonans, ducitque pias ad funera musas.
Nam si forte rogas, nostrae, dilecte sodalis,
Quae ratio modo sit quaeque oblectamina vitae;
Deliciae subeunt Pinci Mediceaque Tempe,
Parrhasiae subeunt, Jani domus ardua, silvae;
Et memini patrios Tiberina ad flumina clivos.
Illic nos aliqua curas recreare camoena
Jam soliti: sed nunc fugere tribunal, et horrent
Praeconis voces ignotaque verba Maroni
Pierides, mollesque jocos, propria ocia quaerunt.
Quis vero ingratis lepor est in litibus? Ergo
Si quando vacui superet mihi temporis hora,
Sive Casinatum sacras invisere sedes (2),
Praeclarique viri sat erit lustrare sepulcrum,
Per quem Calliope viridanti est aucta corona,
Et nota extremos Ferraria ad usque Britannos;
Sive procul sociis secretos tendere Borsi
Ad tumulum et Brunonis amica silentia gressus.
Sive trigonali capiam solatia ludo (3),
Congrediar, dum clava mihi et puer ensifer adsit,

(1) Doctor Jacobus Agnelli, civis Ferrariensis, qui praesertim poemate Bononiae edito, cui titulus, *Dio Redentore*, multum ingenii ac pietatis ostendit.

(2) Sacri Ferrariae recessus, aedes S. Benedicti, ubi sepulcrum Ludovici Areosti, et Chartusia.

(3) Qui ludus ubique notus dicitur *Hombre*.

Digitized by Google

Ac gemina ex iisdem Martisve aut Herculis armis,
Adiiciamque suo peditesque equitesque tyranno;
Adde vel auratos clypei septemplicis orbes,
Vel totidem, ut pugnant Lapithae, crateras: ovantem
Cernes, si obtigerit majoris gloria praedae:
Turpe foret, dubiis hosti me dedere fatis;
Turpius, infami victum cecidisse repulsa.

Digitized by Google

XI.

DE CULTURA HERBÆ

VULGO *RISCOLO*

Ecloga

Infelix pastor Tyrrus sub moenibus altis
Quondam ubi sortilegae exibant oracula Divae,
Spectans Regillumque lacum, Gabiosque jacentes,
Depulsi a pastu gregis infortunia plorans,
Ipse quoque exutus tunicis et verbera passus,
Incumbens saxo, tales dabat ore querelas.
Caecule (1) qui nostrae fundator diceris urbis
Cernis deformata novis sationibus arva,
Et miseras pecudes? quas extra pascua nota
Errare, atque indigna pati jejunia cogit
Non fera tempestas, nec vis metuenda Luporum,
Sed modo quae Latios incessit cura colonos (2).
Nam genus hoc fruticis, nostrorum aetate parentum

(1) Caeculus Praenestinae urbis conditor.
(2) Dabant operam Galli tunc imperantes ut in agris Romanis hujus herbae cultura introduceretur.

Digitized by Google

Ignotum, adscitumque Arabo de littore nomen,
Culmo humili, squallens inamoeno silva virore
Excolitur, germen foliis exile recurvis.
Terra ubi Praenestina jugis halabat apricis
Dum numquam rosa vere recens, nec frigore defit,
Hic modo subversis scissa tellure rosetis
Inseritur sulco informis sine floribus herba.
Parcite oves petere haec vestra olim pascua: non hic
Jam cytisus florens viret, aut bene olens serpyllum,
Ast alia exurunt pingues sata gramina campos,
Hanc fugite expertae segetem cultoris avari,
Quam torva facie custos armatus oberrat.
Vaeh, si quid tangas, pecori pecorisque magistro.
Si juvat et glebas vos tauri invertite aratro,
Neve jugo pigeat longum perferre laborem:
Ne sperate tamen vestris ex pabula sulcis
Nec paleas, nec quas fessus bos ruminet herbas.
Nam quasi lingua satas magica excantarit aristas
Triticea pro messe et laetis frugibus, herba
Cauliculis late per campos horret acutis,
Vulcano damnata, nec utilis illa juvencis.
Parcite formicae nova tendere ad horrea; namque haec
Lurida complevit combusto germine massa,
Unde nihil vestrae fas est optare senectae.
Vos quibus id studium est, vites plantate novellas,
Scilicet ut saltem ne desit copia Bacchi;
Ast olus infodere externum prope vinitor audet
Materiem vitri conflanda ad pocula praestans,
Quae vitem adcrescens premit, et spem strangulat uvae,

Digitized by Google

Quid tum si vitro splendent crateres inani?
Ah! male tot cyatos sterilis vindemia supplet.
Adspice Telegoni colles, Albanaque rura,
Adspice ut omnis humo fumat Saturnia tellus,
Et passim ingesto graveolentes anthrace fossae.
Quid petitis miseri a foliis fallacibus aurum?
Exitialis enim nitroso e germine pulvis
Ducitur, inque hominum turmas, et in oppida clades.
O precor, alma Pales, et tu per tristia culta
Exitium immittas Ceres indignata locustas,
Unde malos videam istorum periisse labores.
Auguror? Auditis an quidquam credimus? adsunt
Hinc mercatores, hinc gens astuta propolae,
Quique simul rabulae conjurant foedere amico
Agricolas stultos sperato emungere lucro.
Sic adigant fruges, cultumque resumere avorum,
Sic redeant pecudes per libera pascere rura.



Digitized by Google

XII.

PARAPHRASIS
POPULARIS CANTIUNCULAE
QUA NONNULLI VULGI MORES FACETE
CARPEBANTUR

Idillium

Nunc tempus levibus calamis, nunc versibus usus,
Avia quandoquidem summi fruticeta Lycei
Sanguineis vernant baccis, renovataque frondent
Montosae nemora Arcadiae: cum matribus agnae
Mollibus in clivis errant: inculta rubescunt
Jam spineta rosis, et odoriferae sambuci
Germinibus patulis albent, flavoque genistae
Flore plagas ornant, et pulchra papavera passim
Distinguunt virides Alphei ad flumina valles.
Ne vero Dryadas semper Faunosque sequamur
Rupibus in nostris, liceat modo ludere sumptis
Magna ex urbe jocis. Degunt non semper et ipsi
Arcades in silvis: gregibus quin saepe relictis,
Sive negociolum cogit, seu cura peculi,

Digitized by Google

Vimineo portans oneratus terga canistro
Venales caligas montana per otia textas,
Aut presso cum lacte sagax adit oppida pastor,
Et juvat urbanos scitari et discere mores.
Ergo agite o Musae. Marsis in montibus ortus,
Si memini, exiguis laribus nutritus Ofellus,
Cui non ore vigor rubicundo, aut blanda canorae
Gratia vocis abest, oculo sed captus utroque,
Debuit infelix patrio valedicere ruri,
Versari et Romae in triviis, puero duce, sistro
Qui tinnit, citharam socians vocemque canentis.
Ille stipem lepido modicam pro carmine poscens,
Incipit argutus turba plaudente Quiritum.
Iam redière novi ridentia tempora veris:
Florida Romuleae non curant arva puellae:
Frigus amant noctu mediam captare per urbem,
Nec tenerae fugiunt lutulento assidere saxo,
Sicubi lucentem prohibent suggrundia lunam.
Est operae pretium si quis comes additur una,
Qui sorbilla sibi gelidae, qui grata labellis
Crustula suppeditet radiantibus empta tabernis.
Sole magis celeres et Nice et Portia surgunt,
Ambae aetate pares vicinaeque aedibus ambae,
Nescio quem gracili caussantes corpore morbum,
Quo matutinae recreari flatibus aurae,
Dicunt Flaminia spatiando, aut semita in alta:
Sed, qui pervigiles ad nota sedilia amici
Condicto expectent, ne me ne dicere cogas.
Quid, qui annosa petens tenuique refecta labore

Serica ab astuto parvi mercatur Apella,
Queis sese exornet? Gravibus sic passibus illum
Vadere spectamus, multa et praeclara minantem.
At si fors aliqua tegumenta ex parte revolvat,
Quae tunica heu! lateat nitidae subjecta lacernae,
Dicere non possum; ne me, ne dicere cogas.
Aspice munditias formosi in veste Nearchi
Undique solliciti, ne quid non congruat apte;
Dum stupido incedit ridens et cantitat ore;
Divitiasque femur per utrumque crepundia jactat
Pendula ab horarum indicibus fallaci orichalco.
Sed vacuis intus loculis, jejunus anhelat
Huic misero stomachus: veluti gallina caducas
Observat cupide mensa de paupere micas,
Atque pavimentum peracuto scalpturit ungui,
Sic inhiat quaerens, si largi forte sodalis
O utinam rabidum soletur coenula ventrem.
Ut grates agat, ut domino officiosus adulans,
Fanda infanda probet, lingensque paropsida, risus
Materiem, absentes non parcat rodere amicos,
Dicere non possum; ne me, ne dicere cogas.
Sunt etiam . . . sed Musa sile calamosque reconde.

Digitized by Google

XIII.

DE LUDIS
AD MONTEM TESTACEUM

MEDIO ÆVO CELEBRARI SOLITIS

Fragmentum

Hunc molli in prato viridis qui subjacet alto
Clivus Aventino, quem proximus irrigat amnis
Quondam planitiem, fama est incerta, propinquis
Multo e figlinis cumularint fragmine testae,
An fluvio advectis vacuatae mercibus ollae,
Urnave per campos priscis egesta sepulchris:
Concrevit tamen, et longis induruit annis.
Quas ubi plebs celebrat, tumuli in radice cavernae
Haud dudum effossae, statio est percommoda Baccho,
Seu quia dum in specubus residens algentior aer
Cum circumstanti calido magis aere pugnat
Exoritur tenuis commoto flamine ventus,
Seu solis radiis impervius humor aquai,
Sive solo ex imo spirans latebrisque profundis,
Condita vina juvat rimis penetrabile frigus

Digitized by Google

E Rutulis generosa jugis quae Cinthia mittit,
Vina per urbanas hilare potanda tabernas,
His magis in cryptis autumni tempore, quo jam
Callidus invitat blando programmate caupo,
Non quos difficile est raris emungere nummis,
Aut quibus exiguo jam fracta licentia quaestu
Tonstrinae, incomptis populo gaudente capillis,
Sed quos... Quid refert hodiernos tangere mores?
Quin potius meminisse juvet, quos colle sub isto
Egerunt proavorum Atavi per littora ludos.
Nymphae, Laurentes Nymphae, quas gurgite flavo
Tibris alit; quam vos Latias vidistis ad oras
Hospitis Aeneae classem, multosque per annos
Auspicia, imperiique vices et facta ruentis
Jam vulgata satis. Quod vero obscurius, aevo
Pandite qui fuerint mores ritusque sequenti
Romulidum: vos haec Divae memorare potestis,
Quae multo in pluteis caelat sub pulvere codex.
Bacchatae satis ut fuerant per Agonia larvae
Proxima doliolis aderant solemnia: luce
Exciti prima cives gensque advena ripas,
Et juga celsa Remi, tumulumque ubi sancta verendi
Tecta Sabae laeto complerat turba tumultu.
Ascendunt alii tabulata injunctaque plaustra
Visendi studio: multi per prata vagantes
Munera mirantur victoribus ante parata.
Stabat Aventini descensu, ubi meta viarum,
Antiqua haud longe spectans navalia, turris
Secessu in viridi, candentibus ardua saxis.

Hanc picturatis aulaeis undique curant
Cingere, bracteolisque inserta fronde coronant.
In medio palmas, velocis praemia cursus,
Sericeos videas auri subtemine pannos
Suspensos validi sinuari flatibus austri.
Praeterea latere ex utroque hinc annulus atque hinc
Purpureis pendet zonis argenteus, in quem
Multiplici ludens gyro celerique recursu
Figat praeteriens equitantis dextera telum.
Parte alia secreta suis prope moenia septis
Observant ducta ad varios animalia ludos,
Ut cuique est natura, at palma insignis equorum,
Statque morae impatiens sonipes, terraeque frequenter
Insultat feriens: illum cohibere laborant
Nequidquam aurigae et manibus fera pectora palpant.
Stat formidatus Romanae bubalus urbi
Cruribus heu! pernix validis, cornuque recurvo:
Audent succussu celerem promittere cursum,
Arrecta auricula et laeti farragine aselli:
Hic aliis clausi stabulis vinclisque frementes
Vim rabiemque parant venturi in praelia tauri
Quos opulenta agris populo asceteria donant.
Vos etiam pecus ignavum spectacula verres
Deridenda manent, vivos quos esseda rubris
Velleribus tecta et summi de vertice clivi
Praecipitanda trahent, ruptis temone rotisque,
Atque impleturos miseris grunnitibus auras.
Interea glomerata viris hostisque coruscans
Civica praecedit legio, atque excedere campis

Imperat e mediis infusum vulgus, et ecce
Eminus auditur raucus fractusque tubarum
Concentus, crescitque magis vox nuncia pompae.
Conspicitur Princeps, quem tunc dixere, Senatus,
Illum portat equus stellatis albus habenis
Divitibusque pedes phaleris ornatus ad imos:
Ex auro virgam dextra gerit, aureus illi
Circulus e collo: rutilans ac pectore summo
Fulget apex capiti regalis more galeri.
Apparet claro genitus patre, pulcher ephebus
Qui gladium imperii praefert insignia, thorax
Huic niger, aurato circumdata serica limbo
Luteolusque color manicis, suramque femurque
Ocrea rubra tegit laevum, tegit albida dextrum;
Mos rudis, ast aliquid virtutis in ore latinae.
Illum etiam proceres sociant, queis publica cura,
Qui Capitolinis soliti jus ferre cathedris,
Et qui signa ferunt equites in stemmate pictas
Ballistas, parmasque: ingens supereminet hasta,
Panditur hinc spectanda in apertas carbasus auras:
Non hic forma lupae pueros circum ubera lambens,
Strenua sed texto diademate cincta virago
Roma ferens palmam gemino subnixa Leone.
Post haec insequitur lusorum experta caterva
Quos variae ornatus distinguunt vestis et arma
Aut pedes aut in equis: lecti sunt urbis alumni
Sunt quos finitimi populi, quos subdita mittunt
Oppida, littorei Pyrgi, domitique Tiburtes

Et Cimini, et Tuscana cohors, fidique Corani
Et quorum Exquilio dependent vincula ab arcu.
Extremum, magnis populi clamoribus agmen
Claudunt, queis tunicas pannosas poenula rubra
Lata lege operit, risusque jocosque daturi
Judaei cursu inviti . . . . . .
. . . . . .

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

Elegiae

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

IN DIE
NATALIS DOMINICI

Elegia

Hunc cecinere diem vates oracula sacri
  Pandentes nulla dissoluenda vice :
Hunc fore Tartareum posset qui perdere regem,
  Quem tremeret stygio gens scelerata lacu.
Evenere : novum pastores nocte triumphum
  Videre aligeros concelebrare choros.
At, divine Puer, Te majestate jacentem
  Seposita in stabulo rustica turba colit.
Non sine me tibi detur honos : mea testis avena
  Obsequii, et veri testis amoris erit.
Teque canam Mentis genitum splendore Paternae,
  Cum nondum nitidis lucifer isset equis.
Necdum seclorum procedere coeperat ordo,
  Necdum disclusa creverat orbis aqua.
Nunc licet ignotum nostra sub imagine natum
  Monstrabit multis lux manifesta modis.

Digitized by Google

Namque novum fulgens sancta ad praesepia sidus
  Ducet ab aurorae finibus usque sophos.
Et quum Jordanes olim veneratus adulti
  Candida felici membra lavabit aqua;
Te Patri charam testatur ab aethere prolem
  Sancta Palaestinis visa columba viris.
Quid cum convivae lymphas in vina rubere
  Numine mirantur, matre rogante, tuo?
Haec, quibus es nobis ostensus, rite solemus
  Mira recurrenti facta notare die.
Interea gratos tua ad incunabula flores
  Spargimus, atque humili cum prece thura damus.
At tu Natalis cunctos celebrande per annos
  A castis pueris, virginibusque veni.

Digitized by Google

II.

IN JUDÆOS

PROPHETARUM ORACULIS INCREDULOS

MESSIAM ADHUC EXPECTANTES

Elegia

Natalis lux alma refulsit: ovilia cingant
  Et pastorales florea serta casas.
Hunc picta stabuli effigie venerabar ephebus,
  Hunc veneror lenta progrediente die:
Hunc venerer, seu me teneat Thrax compede vinctum,
  Seu vager aprica liber in Arcadia.
Arcades agnoscunt, visum pastoribus olim
  Luce Jebusaeis irradiante Deum.
Hunc coeli regem (Fauno fugiente) precati
  Parrhasiis columen constituere jugis.
Dura Palaestinis sed quae gens exulat oris,
  Ista Deum pugnax abnegat indigetem.
Noscit mansuetus Domini praesepia taurus,
  Noscit et ipse suum tardus asellus herum.
At tu fatidicis monitis incredula avorum,
  Quem venisse docent, credere posse negas.

Digitized by Google

Nonne tui primus generis praedixerat auctor,
  Hoc veniente, tui defore sceptra ducis?
Illius adventum frustra Babylonius exul,
  Et vestrae facinus gentis et excidium
Vaticinans monet? hisque annos stata tempora septem
  Septena decies evoluenda vice?
Evenere: lares retulit defletaque in arva
  Assiria attritos compede turba pedes.
Quique novi Templi vates operi affuit, et qui
  Ultimus in vestris claruit auguribus,
Hortati reduces socios in rebus egenis
  Molem e dumosis reddere ruderibus,
Haud similem antiquae, sumptu quae maxima quondam
  Regifico; majus sed superesse decus.
Nam fore ut humano praesentia Numinis ore
  Augeat aeteriis aemula tecta plagis.
Tali intus templo vidisti, ut cognitus Infans,
  Mox puerum in mediis disseruisse sophis.
Audisti et monitus ab amabilis ore magistri
  Coelestes surda dum fugis aure sonos.
Illa ubi nunc, quae tu terras extorris in omnes
  Fana cruentato fles recidiva solo?
Nec tentata iterum abjurati ope Coesaris extant
  Monstroso audaces igne vorante fabros.
Tu tamen expectas? Heu quid jejunia prosunt?
  Quid vota averso non placitura Deo? . . .
At nova dum jactant deliro interprete fata
  Poena sit eventu spes caritura suo.

III.

DE SACRIS CLAVIS

Elegia

Lethiferi chalybes, quae vos genuere cavernae,
  Thermodon gelidos qua secat amnis agros?
Quae vos crudelem fornax conflavit in usum,
  Qui vos immani contudit arte faber?
Ut Divi juvenis ligno plantasque manusque
  Figant heu! dira cuspide carnifices:
Qui dum operi incumbunt scelerato, malleus ictus
  Ingeminat, plangunt robora adacta trabis,
Et longe crepitus iterans lacrymabilis echo
  Ossea deformi per juga valle refert;
Ah! matris miserae adstantis, gladio velut, aures
  Vulnerat horrificus pectora ad ima sonus.
In diversa trahunt suspensum pondere clavi:
  Conficit assiduus pendula membra dolor.
Sanguineum manat (visu miserabile) flumen
  Quattuor e lacero corpore vulneribus.
Quod facimus fodere has plantas! Peragrantibus istis
  Mille Palaestino sunt benefacta solo.

Quis furor has laniare manus? quarum alma potenti
  Contactu exanimis vita salusque redit.
Illa ubi nunc remanent saevi monumenta doloris?
  Saevitiae addiderat gens scelerata nefas.
Quandoquidem imbuti divino sanguine clavi,
  Et crux aggesta defodiuntur humo.
Atque superponens cultu simulacra profano
  Foedavit sanctum cura nefanda locum.
Haec neglecta diu: mox ecce augusta Latinis
  Acta Deo venit Foemina littoribus
Quam lecti stipant proceres et Romula pubes
  Nobile cui felix cura piare solum.
Huic reperire datur nostrae instrumenta salutis
  Osculaque extractis figere cuspidibus.
Tunc ferri rigor in laetum convertitur usum:
  Vis fera clavorum tunc in honore fuit.
Inter victrices ferrum fit tortile lauros
  Ut sit Coesareis apta corona comis.
Postmodo gesserunt multi haec insignia reges
  Quum subiit varias Itala terra vices.
Namque hinc prima fuit mos sceptra capessere regni
  Ausonii et fasces tollere jure novos.
Pignore tam chari felix Insubria ferri:
  Hoc tibi non adimunt saecula multa decus;
Quod Modoetino vetera ad donaria templo
  Et thure et facibus relligiosa colis.
Cedite Achilleae galeae, quas gestit apisci
  Lis inter Grajos exagitata duces.

Cedite gemmatae Nabathea volumina vittae,
  Et vos barbaricum quos diadema premit.
Haec sacra lamna, sacri robur venerabile circli
  Et decore et cunctas robore vincit opes.
Hoc tutamen erit, ducis et victoria, clavi
  Rite triumphalis cui caput armat apex.
At vos digna cohors (1) meriti cui tessera honoris
  Serti hujus decorat pectora mnemosinon,
Auguror a Thracibus quandoque reposcite bustum,
  Quo Divae sobolis membra sepulta loco.
Tunc utinam Arcadiae numquam non cognita virtus,
  O aliqua e nostris exoriare jugis
Cui Galli pietas iterum Ducis argumentum,
  De quo Torquati nobile claret epos
Gallorum Ausonidumque iterum conjuncta potestas
  Magnaque victrici praeda recepta manu.



(1) Equites ferreae coronae.

Digitized by Google

IV.

DE LAUDIBUS
EXQUILII COLLIS

Elegia

Quis furor, o cives, septenos linquere colles
  Quos fama est veteres incoluisse patres?
Planitieque humili, crassoque sub aere lautas
  Sumptibus immodicis aedificare domos?
Qua nisi forte vias aquilonis flamina verrant
  Semita perpetuo stat lutulenta fimo.
Illic lucifugis purgare cubicula blattis
  Angit Romanas sordida cura nurus.
Imas saepe Tibris pervadens flumine cellas
  Quam bona inundanti dolia perdit aqua!
Judaei potius vendentes scruta, tabernas
  Hac semper teneant in regione suas,
Aut qui perficiunt vario medicamine pelles
  Unde gravis late naribus halat odor,
Aut male qui coctas fingunt fornacibus ollas,
  Prompta ubi figlinum creta ministrat opus.

BIBLIOTHECA CARD·H·CASAN·D·D·FRIED

Digitized by Google

Talibus antiqui dederant habitanda Quirites
  Tecta in despecto transtiberina solo.
Quae jam Tarquinii fuerant viridaria regis
  Sanxerunt campum Mars tibi rite sacrum.
Cetera surgebant patula tellure theatra,
  Amplaque principibus structa sepulcra viris.
Saxonas accepit labente aetate colonos
  Cincta Leoninis moenibus inde plaga.
Sed patrios colles populus Mavortis amabat,
  Tradita ab antiquis sede manebat avis.
Hinc septemgemino de vertice prospectabat
  Tibur, et apricis Tuscula rura jugis.
Mansit honosque diu Tarpeio in culmine, sed nunc
  Lanificum versat foemina egena colum
En iterum pascunt herbosa palatia vaccae,
  Ut dixti pastas urbe Tibulle nova.
Hostili moles olitoris vanga fatigat,
  Turbat Aventinum brassica multa Remum.
Alta Quirinali ducit qua semita clivo
  Vix cessans lentis gens graditur pedibus.
Ast ego si quando fugio fastidia Romae,
  Praestat vimineo transiliisse Jove:
Et petere Exquilios meditantem loeta recessus,
  Purior hic sanos ventilat aura lares
Vatibus Exquiliae semper gratissima sedes,
  Musarum statio dulcibus apta choris.
Namque ubi Moecenas hortis degebat amoenis
  Lusit musa suis hic Venusina jocis

Digitized by Google

Hic te vicinas memorant audisse penates,
Vatum summe Maro, concinuisse tuba.
Te quoque in Exquiliis narras habitasse Properti;
Hic celebrata tuis Cinthia carminibus.
Cernimus et veteri nunc ab radice renascens
Esculeum media surgere monte nemus.
Atque sub arboribus terra florente novellis
Turba sedet cytharae tangere docta fides: (1)
Stant prope plaudentesque manu, facilesque poetis
Pierides querna munera fronde parant.
Quid quae marmoreis aedes vicina columnis
Eminet ac gemino conspicienda tholo?
Haec magnum Exquiliis decus et tutela verendum
Augusta insignit relligione locum.
Area jam primum ponendae apparuit aedi
Mira per insuetas linea ducta nives.
Incertum qua ducta manu, sed fama perennis
Majore ostensum numine tradit opus.
Nam neque candorem sextilis polluit aestus
Nec glaciem laesit torridus igne Leo,
Stant adytis Cunae, queis jam videre jacentem
Pastores puerum luce monente Deum.
Hic quoque servatur magnae veneranda cupressu
Expressa e viva Virginis effigies.
Praesidium Romae rerum in discrimine multo
Qua potuit diram pellere ab urbe luem.

(1) Exquilina Accademia instituta anno 1799 a clarissimo Viro Francisco Caetani Sermonetae Duce, quae in ejus villa habebatur.

Digitized by Google

Hoc utinam Fanum solemnis pompa decoret
  Lustrales seclo nunc referente dies, (1)
Quum peregre multi diversis partibus orti
  Ad Latium ignota in veste venire student,
Depositoque pedo prostrati ad limina Templi
  Dissimili similes fundere voce preces.
Hunc Cajetana summus de gente Sacerdos (2)
  Cui manet in clara posteritate decor,
Hunc ritum antiquo renovatum more sacravit
  Et Romam in fastis jussit habere suis.
Sed modo qui soevit toto mars improbus orbe
  Objicit in medias mille pericla vias.
Claudatur Janus: secto sed pariete prostent
  Templa salutares rite adaperta fores

(1) MDCCC.
(2) Bonifacius VIII.

V.

HOSPES

AD SACRAS URBIS STATIONES



Fragmentum

Quid pede suspenso dubitas? quid respicis hospes?
Non hodie primum compita nostra vides.
Ille mihi: nova quae facies ostenditur urbis?
Anne hoc tam tetro stat quoque Roma situ?
Nam modo transactis Capitolia pulcra diebus
Per lautas memini te duce adire vias:
Sacra Quirinalis duxisti ubi Regia surgit
Et Vaticani culmina ad alta tholi:
Et modo ad hippodromum festae spectacula Romae
Dum plaudente citos voce fatigat equos.
Luce etiam externa, dum tristi incedere vultu
Omissisque mones non opus esse jocis;
Mirabar loca laeta, frequens qua turba Quiritum
Lustrat aventino templa vetusta jugo.
Nunc ubi vix aliquis lentos bos errat amicum
Cogis inaccesso per vada senta luto.

Ast ego : ne pigeat veterem descendere ad aedem,
  Altera namque dies esurialis adest.
Hic fuit antiquo statio celeberrima seclo,
  Et manet a nostris hic quoque ritus avis.
Velabri regio, quo desolata recessu
  Nunc jacet, hic primum condita Roma fuit.
Ecce tibi Janus quadrifrons, arcusque Severi,
  Ecce forum a posito quod bove nomen habet.
En quod Tarquinus purgandae struxerat urbi
  Mirum substrato fornice restat opus.
Parte alia leni per saxa herbosa fluento
  Manat Juturnae vena salubris aquae.
Dum loquor, adspicio vultu adventare severo
  Parthenium, quo non aptior alter erat, (1)
Declamare etenim latiisque assuescere carthis
  Nonnihil eximio hoc rethore didiceram,
Idem jam senior priscas doctissimus aras
  Lustrabatque, pios edideratque libros,
Ausus compellare, pater, ne sit grave, dixi
  Paullisper templi in limine siste gradum.
Nam veteres ritus, quos non bene novimus ipsi
  Praestat ab eloquio discere posse tuo.
Audiit ille; preces non dedignatus alumni
  Protulit et placido talia verba sono.
Aedes Cappadoci dudum sacrata tribuno
  Saepe nova instruitur relligione patrum.

(1) Joseph Mazzolarius e S. J. in Coll. Rom. Rethor dissertissimus, inter plura quae edidit est opus - *Delle sacre Stazioni*.

Quum caput herois Laterano effossa sepulcro
Antiquis aperit nobilis urna notis.
Arma simulque cruorem : hoc quae veneranda sacello
Heu ! pietas fluxo tempore rara colit.

. . . . . .

. . . . . .

Digitized by Google

VI.

IN FUNERE

ALOISII GODARD

SEXTI ARCADIÆ CUSTODIS GENERALIS

Elegia

Ne mea tu scissis elegia incede capillis,
Non opus est hodie flebilis ore sones.
Cymanti est odiosa, reor, querimonia nostro,
Quando humili e tecto migrat ad Elysios.
Lucem vix oculo qui caligante petebat
Uno, aegrotus agens membra vieta senex;
Quumque jaceret iners laxatis fistula cannis,
Jamque Venusinos plectra imitata modos;
Ac dudum tugurî deserta sedilia flerent,
Pastorum solitos conticuisse choros;
Nunc quasi Apollinea reflorescente juventa,
Purpureum nitido percipit ore jubar:
Aspectu fruitur nemorum sedisque beatae,
Quem dixere piis vatibus esse locum.

Digitized by Google

Alphesibeus (1) ibi, atque alii, custodia sylvae
  Queis data cuique suo est ordine Parrhasiae,
Emerito gaudent venienti assurgere vati,
  Accipere et grata reddere verba vice.
Praeveniens omnes Amarinthius ecce Nivildus
  Et solitus lateri Latmius ire comes,
Ut veterem agnoscuut ad se se tendere amicum,
  Accurrunt alacres jungere utrinque manum,
Scitarique juvat quae facta vicesque superne,
  Et quidquid nostris contigerit gregibus.
Colloquio accedit lauro redimita Corilla,
  Quod decus a longo tempore gestat adhuc.
Gratia formae, aetasque eadem, de marmore qualem
  Museo effigies servat in Arcadio.
Nympha suo gestit Cymanti reddere grates,
  Pro vetere officio dulce loeuta melos:
Quod mihi in Arcadia sertum praebente Nivildo,
  Maenalia edideris carmina multa lyra:
Postea dum rara Capitoli in colle corona
  Dignata est nostras maxima Roma comas,
Optime tu vates docto sermone poetas
  Excieris faustum concelebrare diem:
Ut sic conciderent, quae contra haec praemia morsu,
  Ceu solet, audaci moverit invidia:
Et quae clitellarum opifex in foece Quirini
  In mucam est ausus spargere inepta meam;

(1) Joannes Marius Crescimbeni primus Aecadiae custos.

Quaeque meus primum fautor, mox Zoilus acer,
Qui nisi cessisset, fuste dolandus erat.
Mercurius quoniam censores plectit inquos,
Mercurius vindex praesidet Arcadiae.
Plura loquebatur, sed vatum plurima avebat
Turba simul claro plaudere posse seni.

Digitized by Google

VII.

IN FUNERE
PETRI ANTONII PETRINI
JURIS CONSULTI CLARISSIMI
ARCADUM DECANI

Elegia

Ergo te, Arbaces, (1) immitis Parca peremit
Sera quidem, at semper flebilis Aacadiae.
Scilicet excisam misere hoc portendere silvam,
Eque sua profugas arbore Hamadryadas,
Deserta tellure vagas, nunc denique nobis
Quid tam triste ferat sensimus augurium:
Qui de tot priscis superabat vatibus unus,
Eximio fatum jam prope adesse seni.
O utinam mihi sit triplex in pectore robur,
Atque aptum magnis luctibus ingenium.
Ceu vates nimbo qui dum intempesta tonat nox,
Et ferrugineo stella cruenta polo,
Ducunt impavidas horrenda per antra Camoenas
Eque sepulcretis, obvia spectra petunt.

(1) Nomen Arcadicum.

Hi poterunt funus lugubri extollere pompa,
  Ornare ac tetricis carmen imaginibus.
Sed mea non lacrymas, quaerit solatia musa,
  Angit enim haud fictus pectora amica dolor.
Quid tamen in nostro fas est plorare sodali,
  Si merito pietas praemia justa refert?
Hic decus Arcadiae, nostrae acceptissimus urbi,
  Hic, Praeneste, tibi gloria civis erit.
O qui me statuat gelidis in rupibus, ilex
  Multa ubi, et apricis sparsa vepreta rosis.
Spectem hic Regilumque lacum, Gabiosque jacentes,
  Eminus et septem moenia structa jugis.
Illinc planities prospectu aperitur amoeno
  Hernica, et hinc Volsci, quae patet ora maris.
Hinc ego honoratam, coram veluti, alloquar umbram,
  Si cytharae sonitus audiat illa meae.
Aeternum salve nostri prudentia seeli,
  Cui placida obtigerit longa senecta die.
Tu pius in superos, tu servantissimus aequi,
  Prisca tibi (heu nostro tempora rara) fides.
Quid dicam ut natis exempla imitanda relinquas;
  A sobrio ut timeant degenerare patre.
Ut nihil optâris, ruri contentus avito,
  Aulica te nunquam luserit ambitio:
Quod tua consuêrit facilis sapientia cives
  In labyrintheo dissoluisse foro:
Arcadiosque tuo lectos ut monte colonos,
  Scriptorem ut patriae juveris historiae:

Digitized by Google

Coetibus ut nostris , ut pastoralibus actis
Assiduo numquam defueris studio :
Confusa ut foliis Venusinae oracula musae
Juncta suo interpres ordine reddideris.
Perdimus heu ! quantum... at tristes procul este querelae
Pars melior , virtus effugit usque rogum.



Digitized by Google

VIII.

QUUM PRIMO

ARCADUM CŒTUS

III. ID. APRILI ANNI MDCCCXXV

HABITUS EST

IN PROTOMOTHECA CAPITOLINA

MUNIFICENTIA

LEONIS XII

EISDEM ATTRIBUTA

Elegia

Pastores sumus, et cultus insignia nostri
  Compacta est septem fistula arundinibus.
Nescio quis Genius Nonacrino advena monte
  Ad Tiberim germen severit Arcadium:
Nec mora longa: oritur concors citharaeque lyraeque
  Et calami auditum nostra per arva melos.
Abnormem strepitum, ventosi carmina secli
  Musa canens pura Maenalis arte fugat.
Continuo nam sponte sua, nulloque patrono
  Clara poetarum multiplicata cohors.
Musarumque sacro foetus coepere recessu
  Promere ad antiqui culmina Janiculi:

Digitized by Google

Postea in Exquiliis, nunc ultra Tibridis oras,
  Nunc in Aventino, Flaminiaque via:
Grata Palatinis statio et diuturna viretis,
  Arcadis Evandri quo domus alma jugo.
Semper agrestis erat, semperque precaria sedes,
  Musarum asseclis haec data conditio.
Tandem promeritis regali munere Aretes, (1)
  Ut proprio possent degere rure, dedit.
O fagi umbrosae, o myrti, platanique virentes,
  Et sata pastorum laurea multa manu;
Qua super a Sabate lacu deductus ad urbem
  Rauca sonans fluvius triplice fonte cadit.
Eheu Parrhasium, quod tristi hyeme ignis in usum
  Plebs eradicat transtiberina nemus.
Deinde in vestrum derivastis Oreades hortum,
  Qua nostrae potius plantae alerentur, aquam.
Dicite vos saltem restantia saxa theatri,
  Heroum et legum marmora operta situ,
Dicite, pastorum quanta procerumque corona
  Audita ad noctem carmina digna cedro.
Saepe redire domum monuit sub vespere vates
  Tinnula de sacra non procul aede nola.
Sancte Pater, voluit pastorum ut maximus esses,
  Inter pastores natus et ipse Deus;
Quem coeli regem, Fauno fugiente, precati
  Arcades ut columen constituere suum:

(1) Joannes V. Lusitanorum rex inter Arcades Aretes.

Digitized by Google

Hos tu, sancte Pater, desertum quaerere ovile
  Pastores miserans scandere ad alta jubes.
Talibus e coeptis vatum prudentia noscat
  Quae incrementa tuis speret ab auspiciis.
Et vos Patricii, queis nunc de more togatis
  In Capitolino colle sedere datur,
Accipite hos laeti, memoresque fuisse Senatum
  Centum olim in prato rustica corda senes. (1)

(1) Propert. Ovid. etc.

Digitized by Google

IX.

METONENSE PRÆLIUM

Elegia

Aestu curarum vigilata nocte, cubile
Deserui evadens ad juga Janiculi.
Janiculi incipiebat apex lucescere amœnus,
Aurora nitidum jam referente diem;
Frondiferàque domo exilientes, cantibus actae
Gestibant somnum rumpere noctis aves;
Vae quibus, autumno volucrum nunc caede timendos
Ni fugiant saltus prataque operta dolis.
Non adii hoc clivo, quà vix vestigia silvae
Parrhasiae, et grandi culmina fonte sonant.
Mens fuit ad tumulum laudati accedere vatis, (1)
Heroa valuit qui cecinisse tuba,
Et canere *Arma piumque ducem, sanctoque sepulcro*
Qua virtute fuit libera aperta via.

(1) In templo S. Onuphrii quod extat in summo colle Janiculo jacent ossa Torquati Tassi humili sane tumulo, sed nunc illustrium Italorum cura amplior conficitur.

Ossa viri magni regali marmore digna
  Angustus veteri servat in aede lapis.
Ipse notas relegens picta sub imagine adhaesi,
  Qui maecenatis munere parvus honor.
Vos laudo, huic quamvis serum modo, mausolei
  Qui stipe collata condere avetis opus.
At quis amor patriae, potis es quicunque Quiritum,
  Proh pudor, Artini non meminisse tui?
Cujus Melpomene in patria sine honore jaceret,
  Praesul ab Eridano ni monumenta daret. (1)
Sic mussans, cepi quae exedria porticus offert:
  Hic viridantis adest area plana soli.
Sunt ulmi annosae, quae contra in margine frondent,
  Inferiora urbis despicere unde queas,
Caeruleo Tiberi, quae praeterlabitur amne,
  Radente hinc *longam* collis ad ima *viam*.
Consedi in syxto, et positi prope carmina vatis
  Aeterna in mentem dum revocare juvat,
Paullatim sunt pressa gravi mea membra sopore,
  Quum nox insomnis, nec breve fecit iter.

(1) Petro Metastasio, inter Arcades Artino Joannes Maria Riminaldus *Ferrariensis* jam Decanus Auditorii sacri Palatii, et deinde Cardinalis monumentum posuit, ubi alia illustrium virorum monumenta erant, in templo S. Mariæ ad Martyres, olim Πάνθεῶν, cum marmorea effigie, et honorifica inscriptione; *ne viro ubique clarissimo honor in patria deesset*: quo ex monumento, velut ex aliis inde amotis, herma translatus extat in æde quadam Capitolii, subdita brevi nominis inscriptione lingua vulgari.

Ac mihi tunc sive ipsa fuit Messenia Daphne, (1)
  Seu visa e *sacra* surgere *vallicula*:
Nempe illinc, ubi trans ripas tumulata meorum,
  Deliciae quondam, non procul ossa cubant.
Hoc subito aspectu juvenes reminiscitur annos
  Mens oblita, aetas postera quid tulerit:
Ut memini ingenium grajamque ab origine formam
  Illius, et blando nobile in ore decus:
Ut nulli officium comi gravitate negarit,
  Nil satagens luxus, cui sua forma satis:
Quin etiam enituit perrara foemina laude,
  Verbis quam parcis aurea sensa loqui:
Fortis in adversis, praesertim quum status et res
  Romula per multas est variata vices:
Sedula cura domus, tenui indignata minervae
  Non fuit eximias applicuisse manus:
Et pia scita, atque ad doctrinam elementa docere
  Natos e nostro pignora conjugio,
Inque his tunc puerum Argindum nunc iusta merentem.(2)
  O nimium misero quam cito adempta viro!
Illa mihi: dormis? conjux, dum vita manebat,
  Care, et scis nostro semper honore coli.
Carminis anne aliquid tacitus tecum ipse volutas?
  An tibi nunc hujus dulce recursat epos?

(1) M. Teresia *Laura* filia comitis Jacobi Balsarini *Methonensis* ex familia Veneta, quae Romae composita fuit apud Maiores suos in Aede Nova, vulgo *la Vallicella*.

(2) Nomen quod inter Arcades habet Advocatus Petrus Angeli M. Filius.

Sed nimis heu paucos victoria perstitit annos,
  Quam claris adeo versibus iste canit.
Nam vitio regum monumenta augusta, nefandum!
  Lapsa in barbaricas sunt recidiva manus.
Exin quot clades perpessa est Graecia, donec
  Infausto cessit subdita servitio!
Tetram ergo in faciem tractus latissimus orbis
  Cogitur, et scythicae vivere more ferae.
Ingenuae cessere artes, cessere magistri,
  Unde prius cultus diditus in populos.
Quid graviora? ut inhorrescens infanda libido?
  Utque Arabûm ingessit monstra superstitio?
Saepe fuere pii per aperta pericula plures
  Si qua olim a nostris terra recepta fuit,
Qui in mentem oblitis caelestia dicta reponant,
  Quique in proposito pectora sana regant:
Gentilis sic ille meus, cui sacra Corinthi,
  Et Pelopis regio tota regenda datur. (1)
At nostris iterum Venetis erepta Methone:
  Qua mea tunc pressa est obsidione domus!
Nec fortes valuere duces obsistere Thracum
  Diluvio, et patrui pectus et arma mei. (2)

(1) Leonardus Balsarinus Episcopus Chii, et postea Antistes Chorinthi, et Peloponnensis Ecclesiæ Administrator, ritus Latini, a Republica Veneta electus.

(2) In direptione Peloponnesi, quæ accidit anno 1717, multi ex rectoribus et militibus venetis: in quibus comes Michael Balsarinus major Jacobi frater Methonen obsessam defendens, ab hoste capti, nec sine magno pretio redempti: multi in Venetas regiones refugerunt: multi

Digitized by Google

Funesta o rerum facies, o indigna virorum
  Sors, quibus a turpi contigit hoste capi.
Quos fuga servavit, sedes repetivit avitas
  Pars, et in adriaco moenia structa mari:
Pars Latium petiit, pietas unde eminet, et quo
  Sollicita profugi sacra tulere manu.
Hic blande excepti, quorum infelicia rura
  Barbarus ore truci capta colonus arat.
Dein patruus Latii defendens littora navim
  Audacem expugnans, ponit et ipse animam.
Coetera quid memorem? potuisti noscere, postquam
  Affinis nostrae factus es ipse domus.
Interea miseros magis et magis urget Achivos
  Mille modis vexans undique barbaries.
Queis tandem fessis, paucorum vivida virtus
  Vel libertatem, vel necem obire parat.
Foemineisque animis vigor additus instat amicas,
  Et resides trepida in bella ciere viros
Est, quae armat navim, et forma pulcherrima de se
  Spondet victori praemia, conjugium.
Mirum, dum mars alternat, muliebribus armis
  Quot capita hostili ex agmine caesa cadant.

etiam Romam, in quibus adolescens Jacobus Balsarinus, et res quoque sacras, quas subtrahere quisque potuit, transtulerunt: hinc plures libri parochiarum Methones hodie servantur in æde parœciæ S. Laurentii in Lucina. Idem Michael et deinde in militiam pontificiam ascitus, et navi armatæ præfectus ad has oras et mare tutandum, occursu navis barbaricæ animosè pugnans, et jam victor, ictu ignivomæ ballistæ occubuit.

Denique sunt Grajae miserati incommoda gentis,
  Magnanimo exemplo qui socia arma ferant.
Natio init foedus, cui clarum bellica virtus
  Gratia et ingenium sanxit ubique decus,
Jungit opes, quà nulla celebrior insula, cui sunt
  Mille per immensum parta trophaea salum.
Mittit hyperboreà late regnator ab orà
  Auxilium, fortis milite, classe potens.
Quis fragor, ad nostram qui pervenit usque Methonen,
  Huc Nestoreà quo tonat unda Pylo? (1)
Cernitur adversis convulsum classibus aequor,
  Nube et fumiferà delituisse dies.
Merguntur pinus horrendis ictibus actae,
  Bellantum exuviae et corpora faeda natant.
Te trabibus plus centenis fiducia fallit,
  Turba audax; paucis puppibus opprimeris.
Hellados invictis sociis parat ecce triumphum
  Vix hosti una manens sospes ab igne ratis.
Libera erit tandem regio haec, mens augurat: et mox
  Nescio quid majus fulminat a Borea.
Eja age: surge aliquis, CUI DET VICTORIA NOMEN,
  Pristinam ut in faciem nunc ferus orbis eat.

(1) *Navarino*. Hic pugna navalis acerrima toto die XIII cal. Novembris era MDCCC XXVII, quæ satis vulgata et latè enarrata per ephemeridas et publicas litteras, ubi classis turcica et ægyptia septuaginta navibus bellicis et quadraginta onerariis composita strenue profligata fuit classe fœderata, in qua non amplius, quam viginti sex bellicæ naves numerabantur.

Mansuescant mores utinam, et pax rideat orbi,
Ac tutos versa cuspide monstret agros.
Sic mihi visa loqui, at turris vicina nolarum
Dat sonitum: excusso e pectore somnus abit.
Linquis et attonitum me, Daphne, ubi velle videbar
Multa tibi grata reddere verba vice.
Sed vigili ex animo non excidis inclyta nostro
Matrona, et merita laude carere pudet;
Attamen exiguo conabor carmine, nomen
Ne queat atra aevi nox abolere tuum.

Digitized by Google

X.

CUM FILIUS

CASIMIRUS

SOLEMNI RITU

PRIMUM SACRUM FECIT

Elegia

O cui sollicito curae est annona Quiritum, (1)
Magnificam nobis tu modo das agapen.
Sic patribus plebem, sacris de more peractis,
Convivas quondam conciliabat amor.
Nec tantum lautas epulas ac vina parasti,
Sed quae praesto essent sacra ad agenda magis.
Commoda sessuris, septem peragrantibus Aedes
Struxisti augustà tecta dicata manu.
Nunc vero ascendit novus hoc altare sacerdos
Quà pompà, et docto rite canente choro!

(1) Nicolaus Maria Nicolai (de quo pag. 33) Annonae Urbis Praefectus, deinde Antistes Maximus Curiae Innocentianae, in cujus aede sacra suburbana ad viam Hostiensem Casimirus non exiguo nobilium Virorum, aliorumque etiam peregrinorum concursu piaculari anno MDCCCXXV nonis sept. Sacris primo operatus est.

Digitized by Google

Dum pius augetur multo tibicine cantus;
  Et circum festo perstrepit igne fragor:
Quam scite adstantes nitidaque in veste ministri
  Praescriptum servant relligionis opus.
Qui modo convivae! Tu qui clarissime praesul
  Sacram in Romulea fungeris urbe vicem. (1)
Et Tu quem decorat pietas, et munere summo
  Praefectus nostro dicere jura foro. (2)
Tu quoque qui advigilas, ut sit tutamen in armis,
  Ut decor et ratio militiae niteat. (3)
Tu magno accursu metanoeae blande minister, (4)
  Pubem in Apollinea qui regis aede sacram.
Parcite, praetereo si quos: fortasse lyaeo
  Excita, nullo errans ordine musa canit.
Sed tibi ne desint nostrae Marianna camoenae (5)
  Carmina: promeritus ne tibi desit honos.
Quam come ingenium, quae sit prudentia laudi,
  Quae tibi sit fratris, quae tibi cura domus.
Nec tamen interea studium contemnis Arachnes,
  Vellera de moris serica rure legens.

(1) Josephus della Porta Rodiani Patriarcha Constantinopolitanus, vice Sacra in Urbe, nunc Pater Card.

(2) Joachim Joannes Xav. d'Isoard Senior XIIvir. sacri Consilii litibus judicandis, deinde S. E. R. Card. Archiep. Auxitanus.

(3) Dominicus De-Simone Armis Praefectus, modo Card.

(4) Josephus Tarnassi Sacerdos clericis in Sem. Rom. ad S. Apollinaris instituendis Praefectus.

(5) Marianna Nicolai Praesulis soror.

Digitized by Google

Ast ubi te indictum Scaringi operose relinquam? (1)
Quem dicam multis artibus esse virum.
Tu neque sacrorum ignarus, nam thura ministras
Quando hodie fuit hic ara adolenda Deo.
Tu quoque amicorum commissa negotia, nullo
Allectus pretio, candidus exequeris.
Credita vitiferi late haec custodia campi;
Inque tuà dominus dormiat usque fide.
Ac te indefessum non parva parte laboris,
Dum tam multa paras, auxerit ista dies.
Omnia laeta quidem: sed amici carmina vatis, (2)
Quae recitas, ea nos ad propiora vocant.
Gaudia nam canit, et laus quanta parentibus extet,
Tam sanctum in nato nosse ministerium.
Ac tibi qui exultent materno in pectore sensus,
Quove animo adfueris qua pietate Rhode: (3)
Cui datur, ut possis tua labra sedentis ad aram
In nati venerans applicuisse manum,
Qua modo primitiae ad munus decora omnia praestans
Aeterno oblata est victima sancta Deo.
Ut non malueris similes sperare nepotes,
Quam capere ex ipso caelibe laetitiam.

(1) Josephus Antonius Scaringi rei rusticae praeses.

(2) Franciscus Fabi Montani inter Arcades Philenus Antigonèus, qui italica carmina typis vulgaverat, ut amico quocum in condiscipulatu familiarissime vivebat, gratularetur.

(3) Rosa Sisco Angeli M. Uxor, quae infirma utebatur valetudine, quaeque insequenti anno extincta est.

Digitized by Google

Huic aderas puero, cui iam praeludere ritus,
Arulae et ornandae mens studiumqne fuit.
Ut laurus dum parva, suis quam ex stirpibus ortam
Mater sub ramis educat umbriferis,
Post sata in aprico gratum diffundit odorem,
Et decori et multis usibus alta viret;
Sic qui pervenit, quum nunc adoleverit aetas,
Ut gerat optatum filius officium;
Debita quam multis spes est documenta daturum,
Ut scelere eluto regna superna petant:
Nec minus humanae per tot discrimina vitae
Solamen miseris subsidiumque fore.
Ah tibi ne fuerint extrema haec gaudia: verum
Membra vigor recreet pristinus aegra diu.
Et meliora opto: nostri pia musa Phileni,
Quae tibi nunc cecinit talia, plura canet.

Digitized by Google

XI.

SPECTATISSIMO VIRO

NICOLAO MATTHÆJO BALDINO

ECCLESIÆ CAMERTINÆ

ARCHIEPISCOPO

Elegia

Si pastorales potes intermittere curas
  Optime paullisper Praesul, ut ista legas,
Accipias quaeso, tenui quae munere mitto,
  Nescio quam facili carmina ducta lyra;
Nuper dum lites pertaesum audire forenses,
  Atque aliter tristem me brevis hora sinit.
Amisi plures antiqui moris amicos,
  Nostraquae non uno est funere acerba domus.
Parrasiae frustra repetam solamina silvae,
  Nulla ubi deserta laurea restat humo:
Musae hinc jam pridem cessere, vetusque theatrum,
  Heroum et legum marmora operta situ:
Nunc ubi Erissenae pictura meae, unde tenerent
  Sacrorum et nemoris Arcades effigiem? (1)

(1) Agne Tinellia Angeli M. F. inter poetrias Arcadiae *Erissena Argyriea*, florida aetate desiderata anno MDCCCXXV.

Digitized by Google

Tarpeja Arcadibus datus est modo in aede receptus,
  Sed fessum curis nil, nisi aperta levant.
Ergo me juvat ad nostrum secedere agellum,
  Qua Nomentanae plana et amoena viae:
Hanc secat excurrens Aniena a Tibure lympha, (1)
  Praeneste hinc spectes, et juga Telegoni:
Parte alia Soractis apex procul eminet: illac
  Permeat acclines Tibridis unda plagas:
Apparent contra in tumulis castella Sabinis,
  Et propius montis culmina nota sacri:
Et vicina magis venerabilis Heroinae
  Stant in vitifero templa vetusta solo,
Cui tractae ad probrum coma circumfusa repente
  Texit ab infandis membra pudica procis. (2)
At dum prospicio, ac tentans per singula, ut omni
  Expediar cura, mente oculisque vagor;
Ecce loci facies mihi quid praesentius offert:
  Ejus enim ruri est proxima villa meo,

(1) Quum haec jam composita fuissent accidit, ut fluvius Anio assiduis et extraordinariis imbribus tumefactus, XVI. cal. decembris MDCCCXXVI in orientali parte Tiburtini territorii, ubi veteri substructione in plures cataractas divergebat, novum alveum inde effoderit, unde aquae in majorem alveum confluentes moletrinis, et opificiis civitatis defecerunt, aliquot etiam aedificiis subrutis, de quibus latius publicae ephemerides.

(2) Antiqua et insignis aedes S. Agnetis Virg. Mart. in via Nomentana.

Cujus honorati per munera clara Camertis
  Nomen adhuc trivio et fonte decusque manet. (1)
Hoc ubi me incessit, tum facta priora recurrunt,
  Quaeque alacri pectus sensu hilarare queant:
Ut memini vidisse Camertia moenia, ephebum
  Quo me ducebat tecta ad avita pater.
Aspexi antiquis fabricatam molibus urbem,
  Et late aprico in colle patere domos,
Ac divi Juvenis monumenta et fana, perenni
  Quo fidens potitur patria praesidio. (2)
Primaque ubi pietas austero claustra cucullo
  Condidit, haud lenis quo sit adire via: (3)
Quaeque ibi se attollunt saxa et nemora Apennini,
  Quae praebet nitido pascua opima gregi.
Hinc quoque nativi experto fruticeta ministrant
  Multiplicem cotini materiem artifici.
Nonne haec ostendens montana e viscere tellus
  Marmora pulchra, suis polliceatur opes?
Olim ut sufficiat fulturas templa columnas,
  Et scalpro doctae vivida signa manus.

(1) Villa, qnae licet nunc ab aliis possideatur, tamen super exteriore fonte perenni inscriptionem lapideam Card. Mariani Pierbenedicti de Camerino servat, unde adhuc fonti et viciniae vulgaris nomenclatura est *di Camerino*.

(2) S. Venantius Civis et Camerini Patronus.

(3) Ordinem religiosum Cappucinorum primo institutum Camerini circa annum 1523. *affirmant Lilius et Turchius qui de Camerino scripserunt*.

Haec loca quid dicam quam sint venatibus apta?
  Commodaque astutis artibus aucupii?
Quam placeat leporum celeri cane praeda per agros;
  Arboribus tensa in retia cogere aves?
Et quo proventu aerias captare palumbes,
  Ad nos quas primo frigore mittit hyems?
Has alta ut cernit speculator in arbore tectus,
  Vinctae avidis sociae motibus insidians,
Ad circumstantes invitat sidere quercus,
  Fraus ubi ramosae tegmine prompta casae.
Namque auceps armis expectat turba paratis,
  Et simul explosis ignibus aggreditur:
Quam multas volucres semusta fronde caducas
  Colligit, et praeda divite clamat ovans.
Fercula tunc laetas onerant venatica mensas,
  Laetitiamque augent munera, Bacche, tua.
Et jam si incipiant nivibus canescere montes,
  Grandia profuerit ponere ligna foco:
Interea ludo, aut si prompta est fabula, tempus
  Narrando, aut lepidis fallere carminibus.



XII.

EIDEM

CLARISSIMO PRÆSULI

Elegia

Nunc age : quod breviter mens excitat, haec juga quali
Virtute ediderint ingenioque viros.
Cura vigil pecudes et lac, gnavique coloni,
Queis nunquam lassant rastra et aratra manum (1)
Hinc bellatores dura de stirpe creati,
Mascula et a forti milite progenies.
Cumque his per Cimini anfractus icère Quirites
Utile constantis foedus amicitiae. (2)
Post meritos quoque non semel auxiliaribus armis
In cives sanxit Roma vocare suos.
Non tamen abstinuit multis aetate sequenti
Strenua gens socii jungere Martis opus. (3)

(1) Silius Italicus *de bello Punico lib.* 2. *et* 6., Cluverius *Italiae Antiquae lib.* 3. *et* 6.

(2) Livius *lib.* 9.

(3) Lilius *Hist. Camer. part.* 2. *lib.* 2. *et lib.* 5.

Digitized by Google

Anne domos memorem solertes Palladis arte,
  Et qui foemineus non sine laude labor ?
Aspiceres alias leviora ad pensa puellas
  Texenda assidua fila parare colu:
Stare alias telae, diuturnàque arte magistras
  Dedere ab explicito serica texta jugo:
Quae satis et nitida, et multos accommoda ad usus
  Magno prostarent nomine in emporiis.
Saepe etiam externis merx permutata Camertum
  Conspicuis patrias quaestubus auxit opes. (1)
Quid majora canam? Vero pro Numine lethum
  Vos passos, quibus est inclyta palma decus?
Quos de plebe Dei meritos sacra infula honorat?
  Quos et ad astra pios aspera vita tulit?
Haec sed enim, quae sunt divorum illustria fastis
  Non desunt celebres commemorare viri. (2)
An studia omnino doctrinae indicta relinquam,
  Quaeque his floruerint montibus ingenia?
Qui res divinas, naturae indagine causas
  Nossent, atque aliis qui documenta darent:
Cujus et eloquio fertur vis, horrida monstra
  Caelestem ut posset vertere in effigiem:

(1) Idem Lilius *part.* 2. *lib.* 4.
(2) Ughellius Italiae Sacrae *tom.* 1. *in Episcopis Camerinensibus*, Turchius *Camerinum Sacrum Dissert. praelimin. cap.* 6. *aliique.*

Digitized by Google

Qui scito experti tractare negotia jure, (1)
  Et quibus annales scribere cura fuit.
Ille quoque insignis, cujus pretiosa suppellex
  Romae e codicibus copia cuique patet. (2)
Nec minus incolere haec placuit nemora ardua Musis,
  Audita et calamis et resonare lyra.
Imo Camertina generosum ab origine vatem
  Vidi ego, qui ad ripas claruit Eridani:
Clarum atavis magis illustrant te, Alphonse, Camoenae,
  Priscae atque altricis sic patriae haeret honos. (3)
Ergo visa fuit regio opportuna Lyceo,
  Inque his praecipuis moenibus esse locus:
Hinc ut manaret positis doctrina cathedris,
  Qua naturae vis insita proficeret
Indolis Umbrorum felicis, et advena pubes,
  Discere avens, quam mens vivida ad alta movet.

(1) De Camertibus, qui in Theologia, philosophia, historia, sacris concionibus, eruditione, negotiisque civilibus claruerunt, multos memorat Lilius *part.* 2. *lib.* 6 *et* 7.

(2) Angelus Rocca ordinis Eremitarum S. Augustini, quem multa et egregia ipsius opera *Camertem* praeferunt, licet ab aliquibus in vicino oppido Arceviae Picentium natus dicatur, Sacrarii Pontificii Praefectus: et Episcopus Tagastensis, ex magna librorum selectorum copia bibliothecam confecit, eamque attributam Coenobio S. Augustini Urbis, publicae commoditati esse jussit, idque majori beneficentia, dum nulla alia bibliotheca praeter Vaticanam publice patebat. Haec autem bibliotheca conditoris nomine *Angelica* novis voluminibus in dies aucta Religiosis custodibus ejusdem ordinis administratur.

(3) Alphonsus Varanus ex antiqua gente Varana apud Camertes clarissima, unde soboles circa finem seculi XV. Ferrariam propagata.

Digitized by Google

Postea tentabant gens aemula, quidve putantes
  Ex hoc doctrinae claudere fonte vias.
Et facerent, nisi apud proceres certamine longo
  Victor in urbe meus dimicuisset avus. (1)
Atque ita gymnasio multos res perstitit annos,
  Sed modo visa novas prodere fata vices.
Quis fuit, instantem potuit qui avertere casum?
  Servati decoris cui sit habendus honor?
Tu, majora sacri cui sunt insignia juris, (2)
  Quo super hos valeas invigilare greges,
Tu pietatis opus, cunctis affabilis exples,
  Sollicitoque nihil negligis officio,
Instruere hortarique, tibi quae credita, plebem
  Ad superas arces est tua cura prior.
Caetera nec linquis populi adjumenta, vetustum
  Ex hac ne caderet sede magisterium.
Nec frustra accedis sacra limina, ut hoc ita firmet
  Provida mens sancti Principis esse ratum:
Ne fallax vulgo serpat sapientia, ut imo
  Crescat ab integris docta juventa sophis.

(1) Quantopere hac in re pro patria sua laboraverit Angelus Maria Tinellius auctoris avus patet ex elogio Francisci Amici Lectoris in Universitate Camerini, publice ab eo recitato, dum ibi promovebatur ad Lauream doctoris Philippus ejusdem A. M. filius, die 4. Novembris MDCCXXXVIII, cujus autographum diplomati authentico adnexum a familia Tinellia asservatur.

(2) Praeclara merita et preces eximii Viri Nicolai Matthaeji Baldini Camertium Archiep. piaculari anno MDCCCXXV. obtinuerunt a summo Pontif. Leone XII, ut staret Camerini Lycaeum.

Digitized by Google

Magna igitur cives debent tibi, quisquis et isthinc
  Multiplici ornatus cognitione redit.
Et juveni quoties discenti in fine laborum
  Debita solemni laurea more datur,
Pluribus ut valeat doctrinam extendere, et ipse
  Publica praescripto munia jure gerat;
Haec studio ornamenta tuo quaesita renarret
  Quantumvis sero tempore fama memor,
Et laeta ut fuerit regio haec te antistite: nomen,
  Auguror, extollent secla futura tuum.
Non ausim tibi longa magis fastidia ferre:
  Scripta satis; quamvis scribere plura velim.
Nam mea adhuc dextra nullius egente bacilli,
  Quum nondum studium deficiatque labor,
Non curas premere, ac citharam tentare vetarent,
  Si mihi quid fuerit temporis, Aonides.



Digitized by Google

XIII.

SOLATIA AUTUMNALIA

PLEBIS ROMANÆ



Elegia

Quandoquidem urbanas juvat intermittere curas,
  Autumni tempus dum geniale vocat;
Dumque alii properant lautis petere otia villis,
  Tendere cassitis sive per arva plagas;
Vos quoque paullisper romana e plebe puellae
  Fas est de assidua ponere pensa manu:
Vos, quarum labor est intendere stamine telas,
  Longaque percusso texere lina jugo:
Quarum et dextra die toto ac supplente lucerna
  Lanificum celeri versat in orbe colum:
Vos palea doctae farcire sedilia: doctae
  Et vos straminea veste operire vitra.
Nec mora: conveniunt spes est ubi luce serena
  Se genio ut possint exhilarare suo.
Nondum aurora, nec auditur qui parva per urbem
  Pocula stillatae vitea vendit aquae.

Digitized by Google

Suscitat haec socias, haec mundum, haec cymbala profert,
  Atque haec se comit sordidulum ad speculum.
Tandem prosiliunt angusti e limine tecti,
  Praecipitesque trahunt esseda aperta rotae.
Ordine considunt multae: at solio eminet alto
  Quae forma, aut comptu conspicienda magis.
Serica cui nigro decorant villosa colore
  Thoracem: ex auro quae variarit acus.
Candida jactantur sinuosae tegmina pallae,
  Quam limbo et phrygiae circuit artis opus.
Pectine splendenti, concinno et caerula nodo
  Vitta auget pexas quadruplicata comas.
Eminet adversum formoso ornata galero
  Altera, cristatum ventilat illa caput.
Suppara flava decent: rosea sed cyclade plures.
  Hoc mage se pulchras vestis honore putant.
Calceus ostentat, caelati pondere quanto
  Argenti, grandis fibula sulcat humum.
Nulla tamen mutilo Catias imitatur amictu,
  Nec seclum, licito sit quasi more, vocant.
Non hic languidulam videas incumbere amanti,
  Qui larga in sumptus munera suppeditet.
Aurea pauperies, virtus cui vivere parvo
  De mercede operae symbola dempta suae:
Servatique diu figlina in pixide nummi,
  Collato in praesens aere parantur opus.
Dum cryptae invitant, ubi mons Testaceus, et quae
  Flaminia prostrat multa taberna via;

Atque hic innocuo, rixa procul, orgia plausu
Foemineus celebrat prandia laeta chorus.
Ista puellarum quis censor in agmina? Dicam
Festa Bonae maribus non adeunda Deae.
Vos quantum est reliquum, mores servate vetustos,
Et soboli exemplo consulite et patriae.
Patricio quondam ritu videre Quirites
Alme tibi a nuptis condita fana Pudor:
Pauperè sed censu matres sacrasse feruntur
Aemulà plebejae templa Pudicitiae.

Digitized by Google

XIV.

PARAPHRASIS

ITALICI CARMINIS

VINCENTII A FILICAJA

Elegia

Arcadiae vivet coetus. (1) Mihi namque spopondit
Hoc fore fatidica voce Thalia ratum.
Testatusque suae decus immortale juventae
Annuit arcitenens ex Helicone Deus.
Quin etiam viridis mansuro in cortice lauri
Scripsit inerranti talia fata manu.
Ut non floruerit jam tot doctrina per annos
Quam peperit rigidi porticus illa Sophi:
Nec sylvae celebres Academi, aut scita Licaei
Natio amans lento disseruisse gradu.
Quaeque inter doctas jactantur nomina rixas,
Quid placitum priscis, dum schola quaerit, avis.

(1) Vivrà l'Arcadia: un dì Talia mel disse,
Mel disse Apollo etc.

Digitized by Google

Et licet ad varias studia aemula deinde palestras
  Excierint alacres non sine laude viros ;
Quodque tamen fuerit laudis genus, occidit olim
  Heu nullo manes effugiente suos.
At ne tempus edax , ventoque fugacius ausit
  Arcadicas rabido laedere dente casas.
Ut puerorum aetas pagellas urere gaudens
  Per noctem tremulo captat ab igne jocos.
Atque ubi ludicrae flammae cessaverit ardor
  Lucet adhuc spatiis mixta favilla nigris ,
Lambit et ambustam scintilla erratica chartam
  Plurima, et haec citius, serius illa perit.
Quae tamen extinctas superat vivacior omnes
  Huic multo arridens plaudit honore chorus.
Omnia sic pereunt , vel sunt peritura , sed uni
  Longior exanimis vita superstes erit.
Frondescent nemora Arcadiae resonantia , donec
  Exitium terris afferat una dies.

XV.

PARAPHRASIS

ITALICI CARMINIS

DE ARTE POETICA

Elegia

Quisquis amas versus componere, tu memor esto
Metiri ad numerum singula verba suum.

(1) *L'arte poetica: Sonetto giocoso dell'Abbate Pellegrino Sperandio.*

Chi vuol far versi abbia per primo oggetto
Scandir frequente, e in ciò divenga esatto,
Perchè nel metro s'ei non è perfetto
Gridano tutti uniti è matto, è matto.
Abbia egli in uso per recar diletto
L'allegoria, bensì si guardi affatto
Dall'ampollosità, ch'è gran difetto,
E di prescelto autor mangi nel piatto.
Legga Torquato, e l'Ariosto abbracci,
Bensì si guardi da non far pasticci
Frottole, e Romanelle abbia per stacci:
Produca nuove idee, belli capricci,
Raffini il verso suo tolga gl'impacci
Come una sposa, che s'adatta i ricci.

BIBLIOTHECA CAROLI CASANOVA

Insanum te omnes pueri clamentque puellae
  Syllaba si manco claudicet ulla pede.
Atque ita translato placeat sermone Camoena,
  Ne tamen ampullas turgido ab ore vomat.
Scriptorum eximiae praestent tibi pabula carthae,
  Quae mage ad Aonios sint valitura modos.
Perlege quae Solymis pugnata pio duce bella,
  Quaeque alio audierat maxima vate Padus.
Hos imitans summos cave, ne coneris equinae
  Cervici humanum jungere velle caput.
Tum versus inopes rerum, nugaeque canorae
  Centonis pretio non tibi pluris erunt.
Fac speciosa tuo miracula carmine promas,
  Seu quid inexperti cogitet ingenium.
Neu studii pigeat longi, ut limata nitescant
  Undique truncatis carmina quisquiliis.
Ut nova nupta solet ferro crispare venustam
  Et flore et gemmis composuisse comam.
Atque inter socias nitida spectabilis aula
  Ad citharam agilem ducere prima chorum.

LIBER TERTIUS

Hendecasyllabi et Epigrammata

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

DE MORTE
ANANIÆ ET SAPPHIRÆ

Hendecasyllabi

Haec verax cecinit futura vates, (1)
Ut securus agris perambularet
Bos inter cicures vagans Leones,
Nec dentem tremerent oves luporum,
Nec rictum comitis capella pardi;
Quos molli regeret puer bacillo,
Cui ludus, digitum dare appetenti,
Exerto e tetrica aspidi latebra,
Nec vanos pavet incitare morsus.
Nempe haec caelitibus cohors amica,
Quam tellus peperit ferax recenti
Divinae madida hostiae cruore.
Diversa ingenia, imparesque mores
Aetasque et fero ab orbe nationes:
Cunctis idem amor innocensque vita,

(1) Isaias 2.

Nec dolum alterius timebat alter:
Quae ultro bona quisque conferebat
In commune, famem anxiasque curas
Secli incommoda perpeti haud sinebant.
At qui fraude nova vir et doloso
Conjurata viro fefellit uxor
Jus sanctum sociorum, utrumque prompta
Perjurum caput ultio insecuta est;
Namque is, Bethsaida sacra ad fluenta,
Cui Divus dederat gregem tuendum
Pastor delicias suosque amores,
Quem fraus non latuit, necem imminentem
Ut his nunciat, illico peractum.
Terram foedifrago ecce mordet ore,
Ac deforme hominis, stupente turba,
Vespillo citus extulit cadaver.
Idemque, haud mora, foeminam reportat
Mariti tepidum ossibus feretrum.
At tu nescio momus, an poeta, (1)
Cui vetus Volaterra non dedisse
Vellet nomen et abnegat pudetque:
Tu, cui dum nimio senescis aevo
Dum mimas peregre instruis theatro
Unam pocula multa sumpta in horam
Sorbillo calido abstulere somnum,
Mox somnum ut cyathus reduxit unus,
Nox est perpetua una dormienda

(1) Voltairius.

Digitized by Google

Qua triceps stygiis latrat tenèbris:
Tu procacibus improbus cachinnis,
Quid istud sceleris, quid est, rogabas,
Si paullum excipiam meo ex agello,
Quum dono reliquum? occidam repente?
Ergo tu sapere ut puteris, audes
Quod ratum est superis, vituperare?
Sic tu jura doces sodalitatis
Qua vivant homines bene ac beate?
Omnes ut sibi quidquid est peculî,
Ponant in medio, nihil reservent
Quin communibus omnium fruare
Collatis opibusque comodisque.
Tu privum tibi callidus recondas
Quo carere tuos velis sodales?
Haec sunt optima jura civitatum,
An nequissima scita praepotentum,
Atque artes hominum rapaciorum?
His tu pestiferis reples libellis
Capsulas juvenum et puellularum
Pulchra scrinia delicatiorum?
Te pubes stolida inquit esse acutum
Et laudat lepidum sophum elegantem?
Te vitae accipiunt novum magistrum?
O seclum insipiens et inficetum.

Digitized by Google

II.

IN FUNERE

MATTHÆI BERARDI

JURIS CONSULTI ROMANI

Hendecasyllabi

Quin cessas gemere edita ab cupressu
Turtur, quem faciunt diu celebrem
Versus Euriali (1) insciumque lethi,
Et cunctis avibus superbiorem
Nices lactea ad ora blandientem?
Non enim gemitus decent poetas,
Quos laeta Elysiis tenent vireta.
Illic Eurialus vetustiores
Amicos reperit choro in beato:
Illic egregiam revisit umbram (2)

(1) Berardius, in Arcadum coetu Eurialus Chrisantinus, plurima scripsit carmina latina et itala, inter quae illud probatissimum *alla Tortora*, de quo hic sermo.

(2) Obstiterat cum aliis, sed frustra Berardius ne Magdalene Morelli Fernandez Hetrusca, notissima *Corillae* nomine anno MDCCLXXVI. Poetica laurea in Capitolio donaretur.

Sertis pallidulae aridaeque dudum
Lauri, bracteolaeque gloriantem:
Quicum nescio quid fuisse quondam
Ajunt dissidii, aemulaeque laudis.
Absit invidia, et licet nitescas
Non me nunc facis (inquit) strabonem
His tuis phyliris crepundiisque:
Postquam fama meas recens ad aures
Descendit, coeunt modo ut frequentes
Nostri Parrhasium in nemus sodales.
Vitae o deliciae meique amores!
Quid hoc nobile par poetriarum?
Belisae (1) et Gnidiae decus Lycei (2)
Seu placet subito camoena versu,
Seu versum cupis arte perpolitum;
Quae nostrum celebrant piae sepulcrum,
Nec nostram pudet audiisse vocem,
Ni forte illepidam aut inelegantem
Olim, seu ad strepitum faventis aulae,
Seu dum scripta bona, an mala adnotarem
Cum paucis comitum integra Minerva,
Seu Musas hilari excitante mensa.

(1) Elisabeth Pellegrini.

(2) Henrica Dionigi Orfei Romana inter Arcades Aurilla Gnidia foemina singulari eruditione praedita: cujus carmina ob summam elegantiam, venustatemque apprime commendantur.

Digitized by Google

Cuncta haec quae memores referre gaudent,
Quod functo Eurialo Arcadum caterva
Edit mnemosynon, neget quis ista
Anteponere millibus corollis,
Quas spectare oculis queam irretortis?



Digitized by Google

III.

IN FUNERE
JOANNIS BAPTISTÆ BODONI
TYPOGRAPHICÆ ARTIS
SCIENTISSIMI

Hendecasyllabi

Praeclara potis arte litterarum
Formas cudere daedaloque praelo,
O sollers Vagienne, qui libellos
Profers tam nitidos et elegantes:
Non illos modo, quos manu venusta
Pictis in thalamis terunt puellae,
Quae se doctiloquas volunt videri;
Sed qui Mercurialium virorum
Sunt curae in pluteis fabre arcuatis.
Nempe illic ubi stant celebriora
Exemplaria, quae vetustus Aldus,
Et pari studio ille Tarvisinus
Artifex dedit, alacresque Galli,
Et fortes Batavi exitu haud minore,
Et qui nostro opera edidere seclo.

Digitized by Google

Sed isti minui sibi queruntur
Nonnihil pretii, eripique laudem
Dum mira, quasi pictor, arte priscis
Excusoribus anteis novisque.
Ergo jure tuas tot Italorum
Delecti exequias viri celebrant,
Et gratae tumulo sedent Camoenae.
Et quando potuisti epos Maronis
Typis promere tam laboriosis,
Ac magno eximii fabri laborem
In certamine vincis aemulantem.
Te laudat meritum, suaque laurum
Offert Calliope manu: sed astris
Fulgentem Urania ecce dat coronam,
Divinis animum applicare rebus
Gaudens Urania, abditisque coeli.
Nam fines puer advena ad Latinos
Curasti docilis sacro in Licaeo
Cudendis operam navare chartis,
Atque effingere quaeque nationum
Signa, quosque apices, tonos, figuras
Puncta, et dissimiles notas loquelae:
Ut coelestia discere instituta
Una eadem, licet ore dissonanti,
Possent Niligena, Aetiops, et Indus.
Ex hisce auspiciis per omne vitae
Tempus, relligio, probique mores
Illuxere tui, neque abstinuisti
Umquam largus opum juvare egenos.

Digitized by Google

Quare sideream obtigisse sedem,
Ut digna est pietas, tibi putandum.
O qui desiderium tui relinquis
Multis cum lacrymis grave et perenne,
Honos Ausonidum, vale atque salve.

BIBLIOTHECA CARD·H·CASTIN·D·O·PRÆD

Digitized by Google

IV.

FRAGA HORTENSIA

Hendecasyllabi

Nos quae montibus educarat altis
Tellus sponte sua solo virenti
Fraga suave rubentia, atque odora,
Quae passim tenera manu legebant
Ludentes puerique, Oreadesque;
Transduxit Latios sagax in hortos
Vertumni Dea multiformis uxor,
Et dulci assidue rigabat unda,
Ac nocentibus exuebat herbis;
Denso cespite, sentibusque acutis
Cingens undique, ne procax juventus
Et Fauni, aut Satyri insilire possent,
Aut irrepere fur: sed heu viretum
Intrarunt pretio mali propolae,
Qui quantum est olerum, arborumque ubique,
Contendunt capere arte quaestuosa.
Hi nos mite genus Deaeque alumnas
Student abdere squallida taberna,

Digitized by Google

Parvo ut rancidulas ferant canistro
Per fora, et trivia aestuante sole
Ut vendant populo usque cariores;
Docto quin digito regunt stateram,
Si fas unciolam addidisse lucro.
Haec gens, ut perhibent, ita in doloso
Velabro, et veteri egerat macello
Mercimonia ditiore Roma.
Sed his Romulidum tamen diebus
Plenus sacculus est aranearum,
Quos emungere amat magis magisque.
O tunc pessima, nec minora nostri
Secli incommoda, Romulique fecem.

Digitized by Google

V.

AD MUSCAM

Hendecasyllabi

Quid me pessima, spiculo, et susurro
Gaudes angere languide occupatum?
Dum conor tenue, unicum levamen
Tentans difficiles opus Camoenas,
Aestivo mage taediosa sole.
Unde ensis mihi, quo sagax necabat
Muscarum agmina calvus Imperator?
At me illudere pergis ac remordes:
Callidoque alapam fugis volatu,
Quae in nostram recidit genam immerentem.
Oh tu cassibus implicata, morsu
Exhausta intereas aranearum.
Sed nil proficio: urget obstinata.
Mutanda est ratio: placens, venusta
Mollis bestiola, Iridis colores
Pellucentibus aemulata pennis,
Me tandem miserum, precor, relinquens
Mensis assideas beatiorum,

Quae dulci undique ferculo redundant,
Sin muscaria protegunt fenestras,
Non desunt patulis dapes tabernis
Per fora et trivia, aut Agone Circo,
Qua myrto cucumis virente cinctus,
Scalarum ordine semiorbe multo,
Propolae rubet arte fraudolenti,
Vi cultri in speciem diu fricatus,
Quin cibum cape delicatiorem:
Nempe ut videris ire purpurisso
Perunctas facies, quibus lacertos
Non velat bene laxa chirotheca,
Vel quid forte aliud severiorum,
Si qui sunt, stomachum movet Catonum.
Has invadite, quotquot estis usquam
Muscae, oestri, culices, apes, crabrones,
Vesparum et genus omnium; molestis
Circumsistite, pungitote rostris
Has mimas, probra Romuli Nepotum.

Digitized by Google

VI.

IN

SYMPOSIO AMICORUM

Hendecasyllabi

Quid sextilibus imperem calendis
Quid coenae rogitas puer parandum?
Id quod Archaicae sat esse mensae
Noris. Proin genus omne jusculorum
Atque obsonia carnibus recoctis
Sacchari scobe rancidoque lardo,
Mitte hanc congeriem improbam coquorum.
Tu pullos patina extrue in nitenti,
Ne macros modo, neve semicrudos.
Mos sextilibus hic placet calendis.
Condient melius mei sodales
Promptis carminibus facetiisque.
Nec non fercula pone sicciora,
Et Pomona ferax quod hoc dat anno.
In primis cichorea de novali

BIBLIOTHECA CARD·H·CASAN·

Lecta, aut intyba frondibus tenellis,
Lactucasque olus eminens in hortis.
Nec desit mihi copia alliorum.
Haud vatis moveor jocis Horatî
Damnantis quasi Colchicum venenum.
Aestatem facit allium salubrem,
Omni haec tradita theriaca morbo,
Siqua est doctiloquo fides Galeno:
Plerisque innocuum hoc cibis aroma.
An ne sit gravis halitus vereris?
Prompta est in triviis medela, Graeci
Quam sententia nos docet Menandri.
Radices adhibe levi igne tostas
Betarum: illepidum hae domant quod halat.
Nec deest gratia, sic enim rubenti
Acetaria frustulo decorant.
At non hoc, timidus quem caves, odore
Laeditur gena Thestilis pudicae,
Sincero gena quae viget colore,
Dum messoribus a labore fessis
Serpyllum cita tundit alliumque.
Verum ajunt genus esse foeminarum,
Quae sibi os liniunt (ut illa forte
Maecenatis amica) purpurisso;
Quibus pernicies lues venenum
Alii sit odor, statim ut peruncta
Mireris facie excidisse crustas,
Et palam e latebris hiare rugas.

Digitized by Google

Sed mitto haec. Puer hoc vigil labora,
Multae ut sint phyalae, optimum et quod usquam
Dat vindemia de jugis Etruscis,
Aut Cimini, aut agro Falerno.
Ut quum pocula plurima hauserimus
Auctam laetitiam inter et cachinnos,
Te Bacchi meritum, puer, ministrum
Convivae celebrent, bonaque strena
Hic didrachmate largus, hic trinummo
Pulchra (Juppiter!) aemulatione
Certatim studeant remunerari.



Digitized by Google

VII.

VINDEMIÆ

IN SUBURBANIS

Hendecasyllabi

Quis ludus tibi, Bacche? quae voluptas?
Ire per juga devia, atque Thracen
Candidam nive, barbaras et inter
Matres evohe ululatibus frementes?
Huc te purpureis graves racemis
Invitant, pater o Lyaee, vites.
Hic tu Romuleas vide puellas,
Quae lanam, calathos, colus reponunt,
Atque uvis properant opus legendis
Mature situlasque, forficesque:
Et laetas modo gestiunt choreas
(Quamquam olim fuerant magis frequentes)
Nomentana agere, Appia, et Latina.
Nondum sideribus polo fugatis,
Festinant crotalisque cymbalisque
Unamquamque pigram excitare somno.

Digitized by Google

Comptae stramineis caput galeris
Nigrarum ostiolo exeunt domorum
En Lavinia, Candida, et Fabulla.
Lactentem gerit et Marina natam
Marso nupta viro, perusta sole:
Cunctae ab Exquillis et a Suburra
Chloe rixa frequens Amasiorum.
Hinc a culmine collis hortulorum
Procedunt Procula, Antia, et Gemilla,
Gallinaria Prota, quaeque victum
Quaerit Livia linteis lavandis,
Dicax, garrula, curiosa, quaeque
Cunctis noctibus ebria a marito
Multo vapulat ebriosiore.
Illinc Transtiberina turba prodit
Galla, Eustathia, Martia, et Severa:
Cogunt reticulo comas virenti,
Supparoque humeros rubro eleganter
Ornant, ferrea sica sub papillis,
Et jactant animos ferociores.
Jam quae ex tempore doctior canendi,
Cantat jurgia cuique transeunti,
Nec discrimina fossor, an togatus:
At si quis placeat, dicat *corollam*,
Tunc carmen sociae ultimum recantant, (1)
Et clamans iterat chorus *corollam*,
Ac festo resonant agri tumultu.

(1) Vulgo *ritornelli*.

Digitized by Google

Haec, illa interea inscios adorta
Frontem atque uvida pingit ora musto.
Sed dum fervet opus, lacusque spumant,
Atque in re dominus sua occupatur,
Quid multae e nuribus puellulisque
Istis, flos Latii? Manu perita
Vinetum populant, arundineto
Abdunt, vel scrobe furta, vel sodali
Tradunt, post fruticeta praestolanti:
Et tamen quasi sedulae, innocentes
Sueto carmine, quod fatigat aures,
Festivam a domino exigunt merendam.
Nostrarum mala fata vinearum!
Num fures rapiunt parum vagantes?
Parum ex arbore, vitibus, cadisque
Arrogant sibi bajuli, et coloni?
Aut audacia doliariorum?
Quid? mercede operam locantis anno
Toto plurima furta vinitoris?
An mores domini arguas avaros?
Quis neget vetulae stipem, recisos
Quae cervice ferens tremente fasces
Mendicat sibi, sordidisque natis?
Quin et lignipedi dabo petenti,
Qui barba hispidus, horridus cucullo
Cancellos ferit, iconemque Divi
In theca mihi praebet osculandam,
Ac me pulveris herbidi pugillo
(Nasi deliciae) remuneratur.

Sed quis undique tot ferat latrones?
Quare Bacche pater facis venuste
Si tecum attuleris gravem atque durum
Thyrsum, et tu venias simul Priape
Custos optime falce cum saligna.
Sic quos non facies queat tenere
Iudicis fera, sive lictor, aut quae
Alta de trabe per rotam solebat
Restis pendula territare plebem;
Aut scamno applicitus recentiori
Qui plexus scutica monet popellum,
Vos istis latera, et caput dolate,
Vestro tundite, pellitote fuste
Haec opprobria Romuli, Remique.



Digitized by Google

VIII.

QUUM SOLEMNI PRAEMIO HONESTARENTUR

ADOLESCENTES

QUI ARCHITECTURAE OPERAM DABANT

IN GYMNASIO

AD S. SALVATORIS IN LAURO

Epigramma

Quae duce sub vigili specimen dedit aemula pubes
  Talis dum custos huic datur, hora, locus;
Quisque sui graphii virtute armatur, amicae
  Nullum spes opis, aut arma aliena juvant;
Frustra improvisi suffragia judicis ambit,
  Cui nudum occulto nomine paret opus.
Mox opera ipsa palam prostant, sententia ut ipsos
  Publica censores alliget officio.
Unde novi haec ratio certaminis? Illius haec est,
  Quae recto probat ars omnia judicio. (1)
Non modo quae pulchris communit molibus urbes,
  Quas Pharus et passim Graecia prisca tulit;

(1) Definitio Architecturae ex Vitruvio.

Digitized by Google

Ars rerum effectrix mores quoque Daedala format,
Fraudibus occludens ingeniosa vias;
Ne puerorum aetas nimis heu cito discat, ut astus
Virtuti raptis saepe ovat exuviis.

Digitized by Google

IX.

QUERIMONIA
ORATORIS DESIGNATI
AD TURCAS

Epigramma

Aulica qui tractare negocia, quique ministris
Regum scis lautas rite parare dapes, (1)
Irascor, sine me quod convivare: sed audi,
Altera si dederis prandia, quid faciam.
Turcicus Orator (quo me dignaris honore)
Non patiar mensa rursus abesse tua.
Accedam quamvis non invitaveris, et si
Inter convivas non queat esse locus:
Discumbam, sternatur humi dum culcitra, saltem
Barbarico ut liceat discubuisse modo.

(1) Primarius quidam Status Administer familiarissime utebatur viro egregio quem multis variisque negotiis functum, Oratorem designatum ad Turcas ludicre appellabat: cum vero ille opipare convivatus esset, neque amicum, ut solebat, invitasset hic jocose conqueritur.

Digitized by Google

X.

DE CITHARA MARONIS

Epigramma

EX VERNACULO CARMINE ANGELI DI COSTANZO

Quae cithara (1) arguto Meliboeum et Daphnida versu
In Minci ripa lusit arundinea;
Qualia vel gelidi numquam audivere Lycaei
Rupes, vel pinus carmina Maenaliae;
Ut te, magna Pales, cecinit, quaque arte peremptas
Ad nova Aristaeus fata vocavit apes;
Mox quae Anchisiades passus terraque marique
Majori aggressa est concelebrare sono:
Haec secreta jugis, umbrosa ex ilice pendet,
Qua moriens vates jusserat esse suus.
Ac si quando agitans chordas movet aura, videtur
Audaces tali pellere voce manus.
Este procul: nam quum similem, aut sperare secundum
Non liceat: mihi sat Tityrus unus erit.

(1) Quella cetra gentil che in sulla riva
Cantò etc.

BIBLIOTHECA CARD. H. CASAN. D. O. PRED.

Digitized by Google

XI.

DE
THERESIA BANDETTINIA
ETRUSCA

Epigramma

In ranas fragili armatos casside mures
Qui lusit primo carmine Maeonides,
Is specimen dedit, ut plenis maturus in annis
Esset Achillaeum mox pariturus epos.
Sed murum nucibus majora Puellula pangit
Maurorum et Thusci, quae canit arma Ducis
Nonne igitur de vate nova praedicere fas est:
Nescio quid majus nascitur Iliade.

XII.

DE JUVENE
BIFARIAM PICTO

Epigramma

Qui vitro apposito lippos causaris ocellos, (1)
Ad Martis tyro ne rapiaris opus;
Tute, ubi pax, miles pilis tua labra retortis
Fingis et inviso te geris ore Thraso.
Fur patriae duplex: primum quod milite frau
Nunc aufers meritis praemia militibus.

(1) Conspiciebatur in quadam theca cum epigraphe
De lunettes en tems de guerre;
De moustaches en tems de paix.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS

Lirica

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

BALAAMI VATICINIUM



Ode

Vates Eoi fluminis accola
Largis vocatus conditionibus,
Quas multo Arabs auro tyrannus
De solio anxius offerebat,

Ut late ovantes Isacidum manus
Jam pinguem Idumen, jam Nabatheia
Regna occupantes devoveret
Auguriis geniisque diris;

Quae monstra passus, accelerans iter!
Frustra furentem bellua restitans
Prosternit, humanisque rudit
Vocibus, horribilique rictu:

Quo territa audito haud alias sono,
Procera quasso visa cacumine
Palmeta nutare, atque odoros
Balsama concutiisse ramos.

Digitized by Google

Statim stupentis lux oculis micat:
Ac tunc ministrum numinis alitem
Cernens sibi stricto minantem
Contremuit Balaamus ense.

Hinc mente mutata, ut stetit in jugis
Celsis aruspex, agmina contuens
Actus Deo verum monente
Fata canit veniens in aevum.

O pulchra, dixit, castra virentibus
Et quae nitent tentoria vallibus:
O quos Deus dura solutos
Compede niliacis ab oris

Eduxit, altum qui mare fluctibus
Utrinque scissis, insolitam viam
Ad laetiora ostendit arva
Pactus avis atavisque vestris.

Quorumque virtus cedere nescia
Immane quantum rhinoceros caput
Armenta profligat minora,
Sic acies superabit omnes,

Augente regnum vi ducis incliti.
Ne quis cubantem suscitet asperum
Tactu leonem. Quisque verbis
Abstineat male nominatis.

Digitized by Google

Quid me minaci, quid prohibes loqui
Casure Balac increpitans manu?
Aut me quid aeternis repugnans
Fingere consiliis fatigas?

Illum videbo, at non modo: cernere
Illum licebit, sed procul. Hinc jubar
Olim refulgens inter atras
Stella oriens radiabit umbras.

Consurget almo robore praepotens
Hinc virga, fortes quae subiget duces
Summasque devastabit arces
Et populos Arabum superbos.

Heu! quis superstes tempora protrahet,
Fatorum ut istas aspiciat vices,
Quas tardior spectabit aetas?
Italia venient remota,

Qui classe perdent Assirias opes,
Et regna Hebrèum sedibus ab suis
Eversa. Postremo sed ipsos
Haec quoque fata manent: peribunt.

Tantum loquutus. Fallor, an illius
Praesaga vidit mens grave seculum, et
Quae jam dedit coelestis ira
Hesperiae mala luctuosae?

Digitized by Google

Bellum ferox bellum, ac miseram famem,
Scissas et urbes seditionibus,
Concussa motu pertimendo
Moenia praecipitesque moles.

Infans tonantis progenies, Deus,
Quem turba circum gestit agrestium
Tueri, et agna, et lacte presso
Pauperibus venerata donis:

Quem diti adorant munere supplices
Sophi Sabaeis finibus advenae,
Quos stella duxit, stella prisci
Dudum animo manifesta vatis;

Tu coge nostra flens sub imagine
Accensa Patrem ponere fulmina:
Fac rideat pax alma terris,
Exitium miserate nostrum.

Quod si novo spes omine fulgeat,
Sertis tua incunabula floreis
Texemus, addemusque carmen
Parrhasia resonante sylva.

Digitized by Google

II.

DE BEATA VIRGINE

BETHLEEM ITER FACIENTE

Ode

Jesseus peteret quum veteres domos
Bethleis gelidas rupibus, asperam
Cum diva senior conjuge per viam;
Hos sensit procul advenas,

Cantaret vaticinans umbra caput movens
Antiquo Helciades exeruit specu,
Captivae hic ubi jam funera patriae
Tristi carmine fleverat.

Et salvete: sacrum neu pigeat solum
Ac regnata atavis arva revisere;
Hic virtus Arabae prisca puellulae,
Quae spicas per agros legit,

Quam veri nova spes Numinis erigit,
Ditis conjugium promerita est senis
Dum messa ad zephyrum ventilat hordea,
Et festum agricolae canunt.

Longo per populos hinc dominantium
Regum progenies claruit ordine:
Sanguis regius at vos, modo patrio
Exclusi hospitio, vices

Praebente hospitii rupe cava feris
Apta. Proh! pietas! Prodeat hinc salus,
Hic rerum columen, Diva sinu in tuo
Numen virgineo latens.

Sed quae moesta nurum vox ululantium
Vagitusque meis obstrepit auribus?
Quam foedam videor cernere per plagas
Stragem? Quos puerilium heu

Membrorum cumulos? quos subito, nefas!
Dum ludis inhiant dulcibus inscii,
Vel matris, gremio dum recreat sopor,
Dirus transadigit furor.

Audivere jugis eminus oppida
Singultum aeriis, quassus inhorruit
Rachelis tumulus, dum gemit ah! suae
Infandam sobolis necem.

Sed sive haec fuerit poena parentibus,
Divino hospitium qui Puero negant,
Seu palma innocuis jam praeeuntibus
Sanctum militia ducem,

Evenere. Puer numen amabile
Te passim populi, te Latium colit:
Hic bino ampla tholo templa puerperae
Surgunt Exquilio in jugo,

Et solemnis adest nox, ubi ritibus
Hic festae tenebras exsuperant faces;
Et cantus celebrant, thuraque et infulae
Felicis stabuli decus.

Hic aurata, nitens luce adamantina
Cunas (si quis honos) urna aperit sacri
Vagitus memores, et mage nobiles
Gemmis omnibus asseres.

III.

DEUS HOMO FACTUS

Ode

Nondum creato lucifer aethere
Dies praeire aut secula coeperant
Procedere ingentes per orbes
Praepetibus taciturna pennis:

Nullaeque tunc res, omnia sed Deus
Prolem carentem fine et origine,
Splendore conceptum perenni,
Numen idem ex Genitore, mentis

Aeternae opus jam progenerat Pater,
Immensus ingens omnipotens Pater
Haec omnium infinita rerum
Vis Sophiae, referens in ipso

Simplex et unum atque omnigenum bonum,
Et quod potest, quae cuncta potest, manus,
Velut repercussum refulget
In speculo radiante lumen,

Digitized by Google

Haec illa summo par Soboles Patri,
Hic divus altis e penetralibus
Prolatus, arcano Parentis
Qui gremio viget usque Sermo,

Hic prima rerum per vacuum vocat
Inane vitae cassa et adhuc nihil,
Coelumque terrarumque molem
Stare jubet, tumidique ponti

Ponit vaganti fraena licentiae.
Tunc laetae in agris quadrupedes novis,
Silvaeque tum primum virentes
Raro avium sonuere cantu,

Pomisque surgunt grandibus arbores,
Tunc jussus et sol pulcraque sidera
Fulgere, jussa et noctiluca
Ferre facem omniparente Verbo.

Quin sanctius de gleba animal putri
Mirata tellus surgere, et arduum
Coelo satam ostentare mentem,
Atque sui effigiem satoris :

Dulcisque vitae mox comes addita,
Queis in greges regnum, atque in aves vagas
Permissum, et informis senectae
Nescia sors gelidaeque mortis;

Digitized by Google

Si non recentis immemores boni,
Nimis sciendi stulta cupiditas
Ac tristis heu pomi voluptas
Capta, nefas! vetitusque morsus

Damnasset ambo, et progeniem nece.
Nec laeta, fato clauso adamantino,
Hos jam manet sedes, sed atri
Janua tunc patefacta ditis.

Eheu ruenti quis generi afferat
Praesens salutem? quave ope victimas
Avertat addictas tenebris
Perpetuo lacrymantis Orci?

Tu luctuosam commiserans vicem,
Huc alme Prolem, rerum opifex, tuam
Demittis, indutusque nostram
Ecce Deus, Deus ecce formam.

Ne vos agrestes temnite nescii,
Quem vagientem, quem tremulum horrido
Spectatis antro: aeternus idem
In supera dominatur aula.

Quo me rapis, quo Musa? quis audeat,
Quis haec profano pangere barbito?
Quis audeat majora pindo
Exiguis tenuare chordis?

Digitized by Google

Haec digna magni carminibus senis,
Quem jam docentem plebs Ephesi audiit,
Tuque impio tandem Cerinthe,
Tuque Ebion tacuistis ore.

Namque ille mensa, et colloquio Dei
Dignatus, arces dum Solimûm et plagas
Lustrat Palaestinae, et supernos
Saepe animo penetrat recessus.

Sic aura fulvam multa aquilam levat,
Dum solis audet obvia lumina
Spectare, sublimi sequentum
Effugiens oculos volatu.

Digitized by Google

IV.

MULIER ADULTERA



Ode

Eheu tuis et decolor in genis
Pallor, frequens et commaculans rubor
Te consciam admissi, et subinde
Qui tacitus rigat ora fletus,

Artusque pulsans indicio est tremor,
Qui corda sensus, o misera, hauriant,
Jam jam Palaestinas severo
Supplicio admonitura nuptas.

Ah! molle frustra pectus ab imbribus
Comprensa saxorum, et lacerum caput
Servabis, opponens caduca
Brachia, sanguineamque vestem.

Terrent maligni concilio senes,
Qui vindicandum lege nefas, tuum et
Cladem in caput mansueti ab ore
Judicis exprimere adlaborant.

Digitized by Google

Et ipse terret versus humi retro
Arcana signans legifera manu,
Quae fulminanti quondam Eoi
Vertice montis, agente circum

Nimbo tenébras, dum trepidant procul
Crebros tonitrus Isacidum agmina,
Aeterna sculpsit jura sanctis
In tabulis (1) statuitque poenam,

Haec quisquis ausit frangere, scilicet
Ut dira gentis nomina perditae
Scribantur in telluris imae
Pulvere disperitura turpi. (2)

Idem Tyranno qui Babilonio
Aulae profanae pariete in aureo,
Praenuncia instantis ruinae,
Horrifico tria verba monstro

Portendit, (3) idem quid notet, anxia
Tremiscis. At ne plus nimio gemas:
Omitte singultus: prius ne
Justitia, an pietas Magistri

(1) Exod. 24. et 31. 18.
(2) Hierem. 17. 13.
(3) Daniel. 7.

Miranda? (1) Culpae si bene poenitet,
Quam splendidum de te arbitrium facit!
En porticu illusi recedunt,
Turba procax, Solyma sophistae:

Ut ira vultus, ut dedecus eminet!
Quos vestra mirae vis graphidos studet (2)
Atque aemulo certat labore
Ante oculos posuisse nostros,

O Italorum flos juvenum et vigor,
Quorum (oppidis jam clarior omnibus
Vos ornat arx Tarpeja) fulvis
Vivet honos potior metallis.

(1) Psal. 44. 5. et psalm. 84. 14.

(2) Scripta in solemni praemiorum distributione habita in Aula capitolina anno 1805. ab Accademia S. Lucae, quae pictoribus ingenii periculum facientibus hoc thema proposuerat.

Digitized by Google

V.

DE SPINEA CORONA

Ode

Quae divine tuas, o juvenis, comas,
Et dignum tenerae flore caput rosae
Certatim impia turba
Crudeli violat ioco,

Et gaudens cruciat sentibus asperis?
Tormenti genus! Ah! qui os tibi amabile,
Quo coelum ore serenas,
Et vultum superis decus,

Et lucem aligerum et delicias choris
Foedavere? nefas! Opprobrium additur
Dirae verbere cannae
Ludicro diademate.

Heu matri miserae quantus adest dolor!
Quum tandem exanimum difficili nece
Infanda e trabe corpus
Complexa excipiet sinu.

BIBLIOTHECA CARD. H. CASAN. D. O. PRAED.

Digitized by Google

Componetque legens sedula sanguine
Concretam gelido caesariem, truces
Evelletque cruento
Haerentes cerebro vepres.

Priscorum meruit noxa parentium,
Apricos seges ut spinea surgeret
Per campos, et acutis
Horrerent tribulis lacus,

Quos pulcro salices cespite sepserant:
Quumque arbusta prius nil dederint, nisi
Molli e flore corollas,
Mox se ultricibus induit

Armis omne nemus, damna cupidinis.
Ah tu qui vetita ex arbore, conjugis
Hortatu malesuadae
Tangis poma, cave, cave:

Quam poenam hae pariant deliciae novam!
Quam foedo, horrifico haec victima cingitur
Insueto, adspice, serto
Nostrum dum scelus expiat.

Digitized by Google

VI.

VESTIUM DIVISIO

Ode

Dira tortorum manus, abstinete
Amplius saevire: satis probrorum
Heu satis Divo Juveni immerenti
Vulnerum. Agit jam

Artubus luctantem animam cruentis
E trabe infanda. Positus quiescat
Carnifex malleus, nimis et madentes
Sanguine fasces.

Quae tamen visu feritas amaro
Ipsius coram morientis ore,
Ipsius nudi spoliis procacem
Ducere ludum?

BIBLIOTHECA CARD·H·CASAN·D·O·FRED

Laedere et stantis faciem parentis
Quae suum cernens tunicam laborem,
Moeret indignos subiisse jactus:
Proh dolor! illo

Digitized by Google

Texuit quem diva opifex amictum
Quique divinos decoravit artus,
Unde jam virtus potis effluebat
Pellere morbos,

Quum bonum aegrorum premerent catervae
Ore vadentem placido Magistrum;
Lictor immanis potiens, scelesto
Deterat usu?

Fata non istud voluere divûm,
Sed pio jam tunc studio redemptum
Longa seclorum series Latina
Servat in aede.

Atque ubi festae rediere luces,
Panditur pignus populo Quirini,
Romula et quotquot peregre profecti
Limina visunt:

Una lex quotquot sociat sacrorum:
Vaeh! manu si quis studeat profana
Textilem nexu metuente solvi
Scindere vestem.

Digitized by Google

VII.

SANCTO JOSEPHO

Himnus

Dive, cui summi soboles Tonantis,
Conditor quamvis opifexque rerum,
Non recusavit veluti parenti
Subditus esse;

Nuptias almae merito puellae
Numen enixae, superantis omnes,
Quotquot intacti niveo refulgent
Flore pudoris:

Tu Deo natum refoves Puellum
In Jebusaeo veneratus antro,
Jussus Aegyptî modo per calentes
Ducere terras,

Barbaros inter profugum penates
A palaestini rabie tyranni,
Et modo exactis reducem periclis
Cautus avitis

Digitized by Google

Sedibus reddis: Solymaque in aede
Anxius quaerens Puerum stupentes
Mox sophos inter reperis, futurae
Omina lucis.

Pignoris magni vigil usque custos,
O Vir admirande tuum (precamur)
Sumat exemplum sibi quisque vitae
In genus omne.

Nesciens virtus thalami, aut jugalis
Castitas justum, pietasque mores
Ornet, ac functos utinam beato
Fine labores.

Audiat per Te Pater haec supernus,
Et patri aequalis Genitus precantes,
Atque idem spirans ab utroque Numen
Mutuus ardor.



Digitized by Google

VIII.

IN FUNERE

ELISABETH PELLEGRINI



Ode

Nuper in nostris studiosa silvis
Visa priscorum renovare cantus,
Saepe Dirceos imitata pennis
Nympha volatus. (1)

Si diu felix vigeat juventa
Ingeni quales dabit illa fructus:
Abscidit heu! spes nimium fugaces
Mors cita nostras.

(1) Haec puella (de qua pag. 109.) forma et ingenio praestantissima, amoenioribus litteris et disciplinis exculta pulcherrimos versus stans pede in uno condebat: quae vero mature scribebat ad veterem laudem accedere videbantur. Cum XIX. aetatis annum vix attigisset Romae, ubi ortum habuerat, desiderata est anno 1807. Inter Arcades appellabatur Belisa Corinthia.

Digitized by Google

Tu tamen vultu properans sereno
Jam vitam, nostris satiata ludis,
Ad nova affectas juga, clariores
Visere sedes.

Nec moram ridens potis est aprilis
Vere florenti facere, aut amoeno
Monte quae flavo Tiberi imminentem
Pompa paratur:

Advenas inter peregre affluentes,
Dum Pius talem meritos honorem (1)
More solemni statuit sacerdos
Addere Divis.

Quin tibi flagrans magis est cupido
Nube felices animas remota,
Assolent quales superis videri
Cernere coram.

Namque ubi in coetum venies, beati
Gaudii consors, tibi se videndum
Offeret, quem jam genuit Vesevo
Proxima tellus,

(1) Franciscus Caracciolo, Benedictus a Fano S. Philadelphii, Coleta Boilet, Angela Mericia et Hiacintha Marescottia a Pio VII anno 1807. in sanctorum numero solemni ritu ix. Kal. Junias repositi.

Digitized by Google

Integer vitae, celeberque alumnis:
Offeret puro jubare ab Sicanis
Finibus, duro quem aluit labore
Ardua virtus.

Africa haud illi pudor est origo,
Nec nigror vultus animi decorem
Inficit, fusca ut violas decenter
Purpura tingit.

Alma sectatur comites Virago
Galliae clarum Batavisque sidus,
Quae vigil lapsas veteri instituto
Erigit aedes.

Obvia amplexu simul et pudico
Excipit sancto sociata coetu
Diva, quae quondam prope defluentes
Flumina Mellae

Claruit, sub qua dociles magistra
Mente formari tenera puellas
Utiles templo ac domibus futuras
Oppida gaudent.

Tu quoque e nostris Hyacinta clivis
Abdita in durum Cimini recessum,
Unde jam flagris niveo et ligustro
Inclita prodis.

Digitized by Google

Strenuum vitae specimen severae,
O decus magnae columenque Romae
Particeps tanti gradiens triumphi
Agmina comples.

Ore quas inter roseo renidens
Forma Belisae nebulis sepultam
Gaudet exultans pepulisse prompto
Jam pede terram.

Digitized by Google

IX.

CUM

PIUS VII

VENETIIS PONTIFEX RENUNCIATUS

ROMAM VENIRET

Ode

O navis alto quae vehis Adria
Justum atque amicum coelitibus Pium
Et spem Quiritum, ne morentur
Te vada Medoaci aestuosi;

Tumultuantis neu rabies noti
Dispellat atro turbine, fortiter
Quin occupes portum, et vocantis
Italiae excipiare plausu.

Longum manebit pro merito decus:
Cedet, tuis nec laudibus aemula
Contendet Argo fabulosa,
Ausa mari fluitare primum.

Digitized by Google

Illi tamen quid te aequipares rati,
Vector regendam, quam capit inclitus
Jam nunc tuus? non illi origo
Pelion, aut Rhodope nivali

Succisa duris silva bipennibus
Carinae in usum, nec cariem timet
Felix manu aeterna potentis
Artificis fabricata cymba.

Cymba instituto tradita navitae
Piscosa propter Genesarae freta,
Quam nec procellae vis, neque imo
Unda vorax barathro dehiscens

Demerget unquam. Non etenim latus
Aut aera nutans bellica praegravant,
Aut alveum dives premit merx
Pondere sub nimio gementem;

Sed prompta divis credere vocibus
Cohors, et auri nil cupiens, amor
Quam ducit ac virtus phaselo
Tuta viam secat expedito

Laetas ad oras. Multo ibi lumine
Late refulget sidus Anicium (1)
Praecelsa quo rupes Casini
Et vetus ara silente nocte

(1) S. Benedictus ex clarissima gente Anicia.

Digitized by Google

Heroas audit cum superis loqui
Doctos et ire et ducere ad aetera
Fortesque gazam ultro paternam
Exuere Attalicumque fastum.

Hinc lectus ad nos adveniat, prius
Qui clivo amoeni Tiburis, ac modo
Cunctantis ad ripas Vatreni
Pavit oves vigil usque custos.



Digitized by Google

X.

PIO VIII

REGNUM AUSPICANTI

Ode

Quid permolestis, Africe, flatibus
Jam saepe nostras insequeris plagas?
Quid gratiam oppugnans Favoni?
Quid struis, almo oriente vere?

Et quid minaris tam pluvio die?
Toto gravis non secius aethere
Augescit imber, cui recentes
Molle caput violae reclinant:

Passis laborant floribus arbores,
Et gemma presso in palmite tunditur
Squalent repletis rura fossis,
Atque viae et fora in urbe inundant.

Custode rerum Roma caret suo,
Quem mors ademit, dum in melius studet
Sancire, quae non apta ducit,
Quaeqne vices tulerint frequentes.

Digitized by Google

Sed quae repente haec vox populum excitat,
Ut nec novam imber laetitiam vetet
Nec culmina accursum ad Quirini?
Ecce novus, novus ecce Pastor.

Quam fausta nobis enituit dies!
Antistitis clara est pietas satis;
Ne cesset extremum tueri
Relligio populos ad orbem.

Majora dictis quisque sibi auguret,
Nec vana spes in principe amabili
Splendere Clementes, Piasque
Rursus, et Innocuas thiaras.



Digitized by Google

XI.

IN NUPTIIS

DOMINICI DE PETRO

ET

FAUSTINÆ CAJETANI

E DUCIBUS SERMONETÆ

Ode

Pertaesum fori, et aulicis
Gaudentem imposito fine negotiis
Autumni otia quo vocant,
Dum porta egrediens per juga Naevia
Veranumque petens agrum
Praetenta aut Gabiis arva jacentibus,
Pergo retia ponere
Cassitis segetes pervolitantibus
Sub Phoebi exoriens jubar:
Quas captivae avidis motibus alitis
In fatum socias traham:
Dum vocem orbiculi fraudibus aerei
Argute modulabilis
Fingens, colloquio cum populis fruar

BIBLIOTHECA CARD. F. CASAN

Sudi mobilis incolis;
Auditus retinet me Exquiliis sonus,
Et vocem, et citharae modos
Agnosco comitum laeta canentium,
Nempe optatus adest dies
Laurinde (1) ab Lamiis clare penatibus,
Æqua Pallade clarior,
Quum formosa soror prodierit tua
Taedis conjugialibus
A carae gremio matris amoribus
Festive comitantibus,
Felici juveni tradita, foedere
Numquam dissociabili.
O quo nunc alacri concitor impetu
Vatum me inserere in chorum,
Si possem aucupii linquere sarcinam,
Nec desit mihi barbitos,
Quo paullum experiar laudibus addere
Faustinae: undique ut auream
Ornarint Charites flore puellulam.
Qui vultu ingenuus pudor,
Qui ridens oculis sidereis vigor,
Quae mulcens animos lyrae
Percussae tenero pollice gratia,
Quam scita, ad decus, elegans
Artus circumagat lege volubiles;
At cunctis potior bonis
Quae nuptae pietas, quae niteat fides.

(1) Dux Henricus Cajetani e collegio xuvir. Arcadiae

Quid mores taceam probos,
Et lecti egregiam conjugis indolem?
O quam progeniem auguret
Tali e conjugio Romula civitas!
Virtus scilicet insita
Moratae soboli praesidet urbibus
Munitque oppida, fortior
Conductis praetio vel legionibus
Agros depopulantibus,
Aut auro facile dissilientibus
Foeda in rudera turribus . . . .
Sed nostro melius carmine nuptias
Haec vatum celebrat cohors.
Nec Phoebo ulla domus claret amicior,
O Laurinde, tua et magis
Cui gratae faveant Pierides. Mihi
Nil restat, nisi de via
Ut plssim properans plaudere cantibus.
Si cesso, interim amabiles
Luces praetereunt, aeraque perbreves
Altis Marsyae ab aedibus
Mox rumpent graviter tinnula ferias.

BIBLIOTHECA · PRAEP · CAPITVL · CATHED · HAVNIENSIS

XII.

DE TEMPLO PACIS

AD FORUM ROMANUM

Ode

Omine inceptum peragant secundo,
Quod student multis operis Quirites (1)
Rudera effossis rediviva terris
Pandere ad auras,

Hic ubi immanem, lapidum nitore
Atque Apellaeis studiis decoram,
Pacis aeternae titulo sacravit
Flavius aedem.

O decus Grajae, Latiaeque gentis,
Nobiles almo genio sorores,
Queis nihil vitae magis aptum in omnes
Prodiit usus:

(1) Scripta pro solemni distributione praemiorum peracta anno 1812. ab Accademia S. Lucae, quo tempore reliquiae hujusce templi effodiebantur.

Digitized by Google

Pulchra tu gaudens docili parentem
Maximam rerum graphide aemulari;
Tuque spirantes silice ex inerti
Ducere vultus;

Tu quoque exacta ratione cuncta
Quae probans, aedes Superis virisque
Ponis, et magnas ope Dædalæa
Extruis urbes:

Heu quis armorum sonitu obstrepente
Quis locus vobis, quoniam sodales
Otii, et Martis timidas cruenti
Dissipat horror,

Vos nisi invictus tueatur Heros,
Quo nihil majus meminere fasti,
Stare qui laetas jubet inter arma
Pacis alumnas?

Tempora o priscum redeant in aurum!
Rursum existat Dea, quae virentis
Erigat ramos oleae, ac remissa
Rideat hasta.

Tunc juvet fanum renovare et amplas
Fornices, altas strigibus columnas
Scalpere, et priscis basibus revulsa
Reddere signa.

Digitized by Google

Ne quis hic tetras cupiat phalanges
Pingere: at secli decora otiantis
Orbe pacato, referatque culti
Ruris honores.

Turba messorum stet agris ovantum:
Vividis uvae niteant racemis,
Quas ferat solers onerata plenis
Villica cistis;

Atqne ita invitet species, volucres
Rostro ut invadant tabulam appetenti,
Credulas ceu Zeuxis aves magistra
Decipit arte.

Digitized by Google

XIII.

DE HADRIANI MAUSOLEO

Ode

Quae multa in aevum Romulidum struit
Mansura fastus, dissita vepribus
Squallere vidisti subortis
Per Latios Tiberine campos.

Cernis sinistro littore Julium
Jacere bustum, diruta et ossibus
Coementa mixtis? Non ita illinc
Opposita cecidisse ripa,

Quam mole felix erigit aemula
Memor propinqui funeris Aelius
Stantem sibi aeternamque sedem,
Imperio ut premeret perenni

Plebem Quirini, subditam et arduo
(Demens) ab arcis culmine, jam cinis,
Sublimis inspectaret urbem
Marmoreis dominam quadrigis;

Alberet ingens dum tumulus, lapis
Longe recisus quem tegeret, Paro
Exhausta, et ambirent nitentes
Multiplici serie columnae.

Hic signa vultu grandia vivido
Finxit creatrix artificum manus,
Divasque faunosque atque ahenas
Quadrupedum volucrumque formas,

Visura quondam sub clypeo advenas
Obrepere altis parietibus Getas,
Summumque prensantes cacumen
Barbaricis validos sarissis;

Nec ferret acrem vis Itala impetum
Obsessa dudum, ni super agmina
Vastam dedissent trunca pulchris
Fragminibus simulacra cladem.

Oh! quanta seri praelia posteri
Dum Roma flagrat seditionibus,
Videre! Nomentanus arce
Vi potitur, sed enim Suevo

Ultore poenas dant capita e minis
(Heu foeda visu) pendula turrium:
Videre rursus Martis urbem
Praesidio pavidam minaci:

Digitized by Google

Quod ira frustra tollere civica
Aggressa: restat nam lapidum strues,
Saepe unde avorum ac nostra nuper
Excidium trepidavit aetas.

Tantum malorum semen in aureo
Latet sepulchro? Quod studium tamen,
Quae cura traduxit minores
Semirutum decorare bustum?

Nam quum sereni solstitio dies
Acto renident, relligio hospites
Ritusque sacrorum, vel urbis
Pompa vocat nova feriatae;

Depicta pinnae carbasa ventilant,
Gratusque festis ingeminat tubis
Concentus in noctem, et repente
Mole jubar rutilare tota

Spectamus: umbras plurima verberat
Nubes in altas canna ferens facem,
Mox igneos mutata in angues,
Sulphureo recidiva fumo.

Tum concitatis irradiant latus
Utrinque circlis moenia lucidis,
Quos inter insignis coruscat
Orbita versicolore flamma,

Digitized by Google

Stellarum et albam congeriem rotat.
Post luce nulla sed strepitu crebri
Per saxa debacchantur ignes,
En subitis videas favillis

Longoque flammarum ordine fulgere
Muri coronam, e vertice denique
Vulcanus erumpit, fragoso
In Tiberim recidens tonitru.

Splendere late luminibus vides
Praeterfluentes sub tremulis aquas,
Hinc montis excelso relucent
Ampla tholo juga Vaticani.

Digitized by Google

XIV.

CALLIOPE

Ode

Agnovit almo Calliope in choro
Praesaga fati, sceptriferae domus
Agnovit incrementum, in omnes
Quod cito mox patefecit oras

Clivis ab altis machina, (1) maximi
Cujusque facti per subitas notas
Index, remotarumque rerum
Nuncia praeveniens anhelos

Cursus equorum: cumque sororibus
Festina cunis adstitit aureis;
Illuxit adventu Dearum
Lutetiae celebrata tellus,

Et mons, et amnis qui viridaria
Aedesque cultas Sequana perfluit:
Quumque aeris accensi fragore
Omnis apex reboaret arcis;

(1) Vulgo *Telegrafo*

Tum Musa mixtum dulce gravi canit.
Assuesce: Martis ne paveas sonos
Felicium spes o Parentum
Macte animis generosa proles.

Nec te deceret quod prope cateros
Mulcet puellos somniferum melos
Nutricis: at virtutis omen
Herculeas cecinisse laudes,

Carmen tuis hoc auriculis facit.
Ut ille adortas spargere viperas
Cunis venenum elisit, atra
Colla premens animosus infans:

Rupe ut leonem sub Nemea horridum
Mactavit, urbes vicit et arduas
Terras, ut insignivit omnes
Egregiis peragrans trophaeis

Novisse refert, et quibus Itala
Jam terra pridem floruerit viris,
Quorum micat longum per aevum
Post genitis imitanda virtus.

Tum facta discas patria et inclita
Heroas auctos laude, tui quibus
Clarent Penates, quaeque regna
Armipotens rigat ampla Rhenus

Digitized by Google

Queis pace partum et militia decus
Cultusque justi relligio, et fides,
Qui civium non falsum amorem
Magnanimis meruere gestis;

His stemma: Custos et pater urbium
Olim hoc tuis jam vir face, publica
Ut vota subscribant perenne
Marmoreis epigramma signis.

Digitized by Google

XV.

IN

SYMPOSIO ACADEMICORUM

HISTORIÆ ROMANÆ

Ode

Multa nos vestrae docuere chartae
Elaboratae vigili lucerna.
Hic enim monstrat loca, quae recenti
Subdita Romae,

Quo loco Antemnae, Gabii, Fidena.
Scitus hic quaerit, populus, patresque
Imperî fasces dederint, an audax
Militis ardor.

Ille musarum citharas, tubasque
Narrat auditas Latio: sed iste
Moenia et moles operis vetusti
Quasque recenset.

Digitized by Google

Romulas est qui relegit cohortes
Et triumphales aquilas, et acri
Ad necem hostilem Latia, an Sabina
Cuspide pila.

At quod est nobis potius, tacetis:
Quomodo haec priscis habitata seclis
Rursus ad fruges revocent reducti
Rura coloni,

Quomodo haec coeli sola pestilentis
Mitigent tabem, domibus refectis,
Vitibus qui sint oleaeque colles
Foetibus apti;

Ne cadum vini populus laboret
Ad Tibrim multis coemisse nummis,
Sive quod caupo nimia malignus
Diluat unda.

Ite quo vobis placitum sodales:
Ipse fallaces fugiam tabernas
Mixta et ingrata mihi quae parentur
Pocula vappa.

His enim languent cyathis Camoenae;
Languet et pubes tunicata, quae dum
Compitis ludens vacat otiosos
Prospicit agros.

Quaerere antiquos piget apparatus
Martis. Ignavos utinam Quirites
Arva Vejentum videam, aut Capenas
Vertere glebas.

Digitized by Google

La presente opera a norma dell'editto *dei* 23 *Settembre* 1826 ha ottenuto dall' Eminentissimo Sig. Card. Camerlengo di S. C. la dichiarazione di proprietà a favore dell' Avv. Pietro Tinelli editore, essendosi adempiuto a quanto è in esso prescritto.

Digitized by Google

INDEX OPERIS

PAG.

PETRUS TINELLIUS ADV. AD AMICOS III

Auctoris vita V

LIBER PRIMUS — HEXAMETRI

I. *Oratio Christi in horto* 1

II. *Petri vocatio* 4

III. *De Petro et Paulo Apostolorum principibus* 8

IV. *Magdalenae ploratus* 13

V. *Actius Sincerus* 17

VI. *Ob provincias anno 1814. Romano Pontifici restitutas* 21

VII. *In funere Praesulis Benedicti Stay* . . . 25

VIII. *In funere Mariae Cuccovillae Pizzelli Romanae* 28

IX. *Cato ex Romanorum luxu praedicit reipublicae eversionem* 31

X. *De ornatissimo Praesule Laurentio Ruspolo Ferrariam adventuro Vicelegato* 33

XI. *De cultura herbae vulgo* riscolo 39

XII. *Paraphrasis popularis cantiunculae, qua nonnulli vulgi mores facete carpebantur.* 42

XIII. *De ludis ad montem Testaceum medio aevo celebrari solitis* 45

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS — ELEGIAE

I. *In die Natalis Dominici* 53
II. *In Judaeos Prophetarum oraculis incredulos Messiam adhuc expectantes* . . . 55
III. *De sacris clavis.* 57
IV. *De laudibus Exquilii collis* 61
V. *Hospes ad sacras urbis stationes* 64
VI. *In funere Aloisii Godard sexti Arcadiae Custodis.* 67
VII. *In funere Petri Antonii Petrini Jurisconsulti clarissimi Arcadum decani* 70
VIII. *Quum primo Arcadum coetus III. id. aprilis* 1825. *habitus est in Protomotheca Capitolina munificentia Leonis XII eisdem attributa* 73
IX. *Methonense praelium* 76
X. *Cum filius Casimirus solemni ritu primum sacrum fecit* 83
XI. *Spectatissimo Viro Nicolao Matthaeio Baldino Ecclesiae Camertinae Archiepiscopo* 87
XII. *Eidem clarissimo Praesuli* 91
XIII. *Solatia autumnalia plebis romanae* 96
XIV. *Paraphrasis italici carminis Vincentii a Filicaia.* 99
XV. *Paraphrasis italici carminis de arte poetica.* 101

BIBLIOTHECA CARD. R. CASAN. U. O. PRAED.

LIBER TERTIUS — HENDECASYLLABI ET EPIGRAMMATA

I. *De morte Ananiae et Sapphirae* 105
II. *In funere Matthaei Berardi Jurisconsulti Romani* 106
III. *In funere Joannis Baptistae Bodoni typographicae artis scientissimi* 111
IV. *Fraga hortensia* 114
V. *Ad muscam* 115
VI. *In symposio amicorum* 118
VII. *Vindemiae in suburbanis* 121
VIII. *Quum solemni praemio honestarentur adolescentes, qui architecturae operam dabant in gimnasio ad S. Salvatoris in Lauro* 125
IX. *Querimonia oratoris designati ad Turcas.* 127
X. *De cithara Maronis* 128
XI. *De Theresia Bandettinia Etrusca.* 129
XII. *De Juvene bifariam picto* 130

LIBER QUARTUS — LIRICA

I. *Balaami vaticinium* 133
II. *De Beata Maria Virgine Bethlehem iter faciente* 137
III. *Deus homo factus* 140
IV. *Mulier adultera* 144
V. *De spinea corona* 147
VI. *Vestium divisio* 149

Digitized by Google

VII. *De Sancto Josepho* 151
VIII. *In funere Elisabeth Pellegrini* 153
IX. *Cum Pius VII Venetiis Pontifex renunciatus Romam veniret* 157
X. *Pio VIII regnum auspicanti* 160
XI. *In nuptiis Dominici De Petro et Faustinae Cajetani e Ducibus Sermonetae* . . 162
XII. *De Templo Pacis ad Forum Romanum* . 165
XIII. *De Hadriani Mausoleo* 168
XIV. *Calliope* 172
XV. *In Symposio Accademicorum de Historia Romana* 175

FINIS

5164